C. 95.

Philos. fr. 588
ff. 1428 2
Morus

Philos. Logica. Instit. 777.

R

VERA SCIENDI METHODUS.

A. M. M****

LUTETIÆ PARISIORUM,
Ex TYPOGRAPHIA THEOBUSTEA,
è regione Collegii Regii.

M. DCC. XVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Bayerische Staatsbibliothek München

VERA SCIENDI METHODUS.

**** M . M . A

LUTETIÆ PARISIORUM,
Ex TYPOGRAPHIA THEOBUSTEA,
è regione Collegii Reg.

M. DCC. XVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

DE VERA SCIENDI METHODO.

D. O. M.

DEUS, veritatis amator, infere pectoribus noſtris ſincerum veritatis affectum, ut te Deum verum, tuamque in operibus tuis conſpicuam admiremur ſapientiam, & providentiam collaudemus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

DISCOURS DE LA METHODE POUR BIEN CONDUIRE SA RAISON, ET CHERCHER LA VERITÉ DANS LES SCIENCES



ILLUSTRISSIMO
CLARISSIMOQUE VIRO D. D.
PETRO PARDAILLAN
DE GONDRIN D'ANTIN,
Canonico Argentinensi, Abbati Bellariæ de Lyrâ & Monasterii Aremarensis, insignis Ecclesiæ Parisiensis Canonico honorario,
S. P. D. MICHAEL MORUS, Philosophiæ Latinæ & Græcæ Professor Regius.

ETSI nihil est, ABBAS ILLUSTRISSIME, veritate fortius, nihil potentius, adeò ut sola divino

freta præsidio difficultates omnes extricare, abstrusa quæque penetrare, & hostes omnes superare valeat, iis tamen nonnunquam premitur angustiis, ut humanum implorare cogatur auxilium.

Hinc est quòd hæc sciendi methodus, quæ tota veritatis investigationi est destinata, non paucos ideò nactura fortassis adversarios, post imploratam Divini Numinis opem, tuum ambiat patrocinium; qui nuper in ipso adolescentiæ flore, gravissimas Theologiæ quæstiones in Sorbonâ, primariâ Orbis Christiani Theologiæ Scholâ, audiente simul & applaudente Eminentissimorum Cardinalium, illustrissimorum Præsulum, & nobilissimorum Vi-

rorum coronâ, tantâ cum doctrinâ, tantâ cum facundiâ, tantâque cum laude ſuſtinuiſti, ut verum Te illuſtriſſimi GONDRINI, *ſanguinem probaveris, tantique Patrui veſtigiis firmiter inhærens, futurum Te aliquando acerrimum veritatis defenſorem, & inconcuſſam Eccleſiæ Gallicanæ columnam oſtenderis.*

Tenue quidem eſt opus, ABBAS ILLUSTRISSIME, *ſi molem intuearis, at tenuis certè non eſt labor, nec fructus inde ſperandus exiguus; ut enim in universâ Philoſophiâ nihil eſt difficilius, nihil laborioſius veritatis inveſtigandæ methodo, ita nihil eſſe ſolet utilius, nihil inventâ veritate jucundius. Verùm*

enim verò, quisquis hunc fructum maturè cupit decerpere, intimos humanæ animæ ac mentis recessus penetret necesse est. Ausim autem asserere vix alibi studiosiùs investigatam, fœliciùs detectam animæ humanæ naturam, ac clariùs humanæ mentis immortalitatem esse demonstratam, quâ demonstratione non aliam facilè reperies jucundiorem, aut quæ sinceriorem animo pariat voluptatem. Vale.



SAPIENTISSIMIS ET CLARISSIMIS VIRIS DECANO, ET PROFESSORIBUS REGIIS PRÆFATIO.

QUÆ me rationes induxerunt, ut de hac verâ sciendi Methodo cogitarem, eas vobis, Sapientissime Decane, Collegæ Selectissimi, declarandas censui,

quos ego tanquam clarissima scientiarum omnium lumina, & fidelissimos doctarum Linguarum interpretes veneror.

Observavi ab annis aliquot Mathematicarum disciplinarum (quibus olim imaginatio rationi servire, nunc autem imperare didicit) in Scholis nostris desiderium certè laudabile crescere. Rationalis verò & naturalis scientiæ, quibus humana ratio potissimùm excolitur, studium paulatim languere, sensimque deficere; ita ut exigua illius, hujus vix ulla relicta sint vestigia, licet vix unquam frequentioribus experientiis fuerit illustrata; quæ cùm sciendi cupidos ad veras

causas investigandas excitare deberent, ad phanatica præ tædio recurrere coëgerunt inventa, ex quibus nulla unquam erui poterit Scientia.

Rationalis quidem disciplinæ reservatæ sunt aliquæ quæstiones magis subtiles quàm utiles, quibus adolescentum animi exacuuntur, quas solas propemodùm callent, memoriâ plerumque magis quàm judicio, sed & oneratur eorum memoria variis definitionibus, divisionibus ac rationibus, quas satis non intelligunt. Inter mille verò ne unum facilè reperias, qui quid una scientia sit, quâ ratione vera definitio, recta divisio, perfecta-

23103

que demonſtratio fieri poſſit, omninò ſciat; licet hæ ſine ullâ controverſiâ ſint præcipuæ operationes Logicæ & præcipui diſciplinæ rationalis fructus.

In Phyſicis verò noſtris ſcholis nihil aliud audias, quàm materiam ſubtilem, globoſam, ſtriatam, imaginaria ſpectra, quæ nuſquam in rerum naturâ comparent; neque apud plerosque aliud nunc eſt Phyſica noſtra, quàm Commentarius in phanaticam Carteſii de origine Mundi fabulam. Quæ nullam non modò ſcientiæ, ſed ne veri, imò ne veroſimilis ſpeciem habet ullam. Magnam quidem rem præſtare ſe putant Carteſii ſectatores

tores, cùm dicunt hactenùs ostendisse neminem, eam esse imposſibilem, quod tamen est falsissimum : sed quid, si non sit impossibilis ? an ideò sufficiens præbeat fundamentum scientiæ, quæ agit tantùm de rebus necessariis, deque iis, quæ aliter & aliter esse non possunt ? Non diffitetur certè Cartesius neque Cartesianus ullus quin aliter oriri potuerit Mundus, ergo ex hac Cartesii fabulâ nulla potest erui scientia : vel quid sit scientia non satis intelligunt, quin etiam fatetur Cartesius, ne non videatur Christianus, Mundum eo modo conditum esse quo Geneseos primo refertur. Licet credat eum

oriri potuiſſe, modò creata fuiſſet materia ſectaque in partes cubicas, aut quaſi cubicas, quæ circa centra ſua volverentur. Hinc enim prodituram triplicem ait materiam, ſubtilem, globoſam, ſtriatam, quæ in vortices torqueantur majores, ad quorum centra confluente materiâ ſubtili, formaretur ſtella fixa, quæ Sol ſit noſtro planè ſimilis, in vorticibus majoribus naſci minores ait, ad quorum centra confluente ſimiliter materiâ ſubtili, formentur ſtellæ minores, quæ craſſiori materiâ obrutæ, in planetas degenerent, qui veræ ſint terræ, noſtræ planè ſimiles, ex iiſdem principiis eodem modo

motis ortæ, ac ſimiles proinde habituræ effectus, ſua quæque meteora, ſua foſſilia, ſuos lapides, ſua metalla, plantas, animalia quæque perfecta, ipſos etiam homines, ut multis ejus diſcipulis placet: quin etiam eorum nonnullus auſus eſt aſſerere, in his ſingulis ſive planetis, ſive terris, quæ circà ſingulas ſtellas fixas plurimæ ſunt, incarnatum eſſe Verbum Divinum varios ob fines: eò uſque proceſſit effrænis illa fingendi licentia, verberibus certè potiùs quàm verbis caſtiganda; cùm hæc vix dici poſſint aut cogitari ſine ſingulari contemptu, aut manifeſto Chriſtianæ Religionis ludibrio.

Cometas etiam inter planetas recenſent, qui ex vorticibus ſuis diſruptis exorbitent, & alios circa vortices majores excurrant, timendumque nobis, ne tandem noſtra exorbitet terra, ſuoque Solis vortice relicto, alios circa Soles ac vortices excurrat, ut nunc circa ſuum Solem excurrere perhibetur.

Licet autem nulla unquam tam paradoxa, tam inepta in palæſtris Philoſophorum ab Epicuri & Democriti temporibus comparuerit fabula; nulla tamen cum majori applauſu fuit ſuſcepta, nulla majorem authori ſuo ſuppoſititio peperit famam, eam promoventibus & procuran-

tibus viris certè magnis, & magnâ eruditionis famâ non immeritò conſpicuis; ſed qui de ipsâ re neque ſeriò cogitaverunt, neque ullam ab exactâ in ſcholis adoleſcentiâ phyſicæ diſciplinæ operam dederunt; magni reverà Theologi, Phyſici verò valde mediocres. Horum authoritate fretus quos magna, ut fieri ſolet, indoctorum, qui non ſuo, ſed aliorum judicio nituntur, ſecuta eſt caterva, magnus opinione hominum Philoſophus evaſit Carteſius, licet vix ullam Logicæ, Phyſicæ verò nullam omninò notionem habuerit.

Enim-verò quam tandem Logicæ notionem habere potuit, is

qui omnem definiendi, dividendi, demonstrandique methodum penitùs ignoravit; ut planè satis demonstratum est: * Quique sua sophismata (si ejus dicenda sint) ac ridendas planè rationes *pro certissimis & evidentissimis demonstrationibus, ausus est proponere, quæ eas certitudine & evidentiâ geometricas æquare vel etiam superare existimat, & tales demum esse credit, ut non putet ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores inveniri unquam possint?* Non potui non sæpiùs admirari insolentissimam hanc audaciam & fiduciam, ex crassâ prorsùs & incredibili ignorantiâ

* In disputatione de existentiâ Dei, & humanæ mentis immortalitate.

natam. Cùm reverà vix unquam tam inopes aut leves ab aliquo Philoſopho aut Theologo fuerint propoſitæ, eo ſaltem modo quo eas propoſuit, ut demonſtratum eſt. * Phyſicæ verò ſcientiæ quam cognitionem habere potuit, is qui in aſſignando Phyſicæ attributionis ſubjecto, quod Scholæ vocare nunc ſolent objectum, & à quo toram ſcientiæ rationem rectè deſumunt, toto cœlo, hoc eſt toto genere penitùs aberravit; ita ut corpus phyſicum cum corpore geometricè ſumpto, ſubſtantiam cum accidente, corpus naturale cum magnitudine trinæ dimenſionis,

* Eâdem diſput.

non tantùm re & ſubjecto, ſed ratione confuderit; ita ut eandem utriuſque corporis eſſentiam eſſe planè crediderit? Quo vix major in ſcientiis error excogitari poteſt: ita ut mihi facilè perſuadeam, hujus erroris authorem, nullam unquam ſcientiæ notionem habere potuiſſe. Si eadem eſt corporis phyſicè, geometricèque ſpectati eſſentia, eadem erunt utriuſque principia prima, eadem utriuſque attributa propria, ſeu proprietates, eædem ſpecies, eadem demùm omnia, quatenùs ſcientiæ, aut mentis conſiderationi ſunt ſubjecta, nec ulla prorsùs erit inter Geometriam, & Phyſicam ſcien-

tias differentia. Non alia erunt physici corporis principia, quàm punctum, linea, & superficies, quia non alia sunt geometrici: non alia physici corporis attributa propria, quàm æqualitas, inæqualitas, ratio, proportio &c, quia non alia sunt geometrici: non aliæ demùm physici corporis species, quàm globus, cubus, conus, pyramis, & quæ regularia corpora dicuntur, quia non alia à Geometriâ considerantur.

Verùm enim-verò si Physica dicenda sit scientia, quod multi nunc nolint. Saltem si speciem aliquam & similitudinem habeat scientiæ, erit in actu spectata demonstratio, seu speciem ali-

quam aut similitudinem habebit demonstrationis, omnis autem demonstratio intendit attributum aliquod proprium, de proprio suo subjecto, cum quo necessariam habeat connexionem, & à quo necessariò procedat, ostendere; corpus autem naturale à Physicis nunc omnibus, ut physicæ attributionis subjectum aut objectum assignatur, cujus nullam omninò notionem habere potuit Cartesius, qui ejus prima principia penitùs ignoravit, illudque cum corpore geometrico confudit, ut mox diximus. Attributum autem Physicæ proprium, quodque necessariam habet cum corpore naturali conne-

xionem, eſt mutabilitas naturalis, ut antiquæ veræque Phyſicæ Profeſſoribus placet, aut mobilitas, ut novis nunc placet, qui motum cum mutatione confundunt, & mobilitatem cum mutabilitate; licet hæc reverâ diſtincta ſint, ut genus & ſpecies, quia hi cum Carteſio non aliam ſpeciem mutationis aut motûs agnoſcunt, quàm motum localem, cujus omnium ferè judicio, non niſi falſam notionem habuit Carteſius? Igitur Phyſicam penitùs ignoravit, qui ſubjectum demonſtrationis aut ſcientiæ alicujus, ejuſque attributum ignorat, quam tandem ſcientiæ notionem habere poteſt? hæc ple-

niùs ex dicendis patebunt, hìc præmittenda tantùm sunt.

Deinde motum omnem naturalem non credit Cartesius oriri à corpore naturali, aut aliquam necessariam cum eo connexionem habere. Quia reverà nullam corporis naturalis notionem habuit; sed illud cum geometrico confudit, in quo sic sumpto nullum est principium motûs, & sic nullo modo motus aut mutatio, mobilitas aut mutabilitas de corpore naturali demonstrari possunt, cum nullam necessariam connexionem cum eo habeant, ab eóque minimè procedant aut oriantur. Quibus satis indicat Cartesius nullam se omninò Physicæ

ficæ omninò ſcientiæ notionem habuiſſe, nec habere poſſunt ullam qui cœcum hunc ducem ſequuntur.

Quæ cum diligenter adverterem, & omnem à Scholis noſtris, ubi Carteſius auditur, exulare planè ſcientiæ notionem, rem tot vigiliis & ſudoribus partam, tot laboribus & conatibus illuſtrium virorum contra Pyrrhoneos, & Academicos vindicatam, gemmam illam pretioſam, & eximium humanæ mentis ornamentum, recuperare & reſtaurare conatus ſum. Quid verò præſtiterim, & quomodò, vobis breviter indicabo.

Veritatem in ipſo fonte Deo

quæſivi: quâ ratione in res creatas & ſenſibiles deducatur, inveſtigavi: quomodò ſenſus ſunt veri, ita tamen ut veritatem non cognoſcant, patefeci. Quomodò eorum ope ad mentem permeet veritas, indicavi. Verum diſcrimen ſensûs & mentis paucis notum detexi, quomodò mens vera ſit, & quâ ratione veritatem cognoſcit denunciavi. Quæ certò & evidenter ab humanâ mente cognoſci poſſunt, & quæ non poſſunt, indicavi. Tres præcipuas mentis virtutes, intelligentiam, ſapientiam, ſcientiam pleniùs expoſui. Quod ſit primum ſimpliciter humanæ rationis principium, cui omnis ra-

tio innititur, indicavi; quod non sit, rejeci. Veram definiendi, rectam dividendi, perfectam demonstrandi methodum proposui. Veram substantiæ in puram, & impuram divisionem stabilivi; ex quâ vera corporis, veraque mentis ratio colligitur, verum utriusque discrimen declaratur, & mentis humanæ, quam vulgò vocant animam, immortalitas clarissimè demonstratur. Falsam substantiæ divisionem in extensam, & cogitantem, multorum errorum occasionem, plenissimè confutavi: fabulosam Cartesii Mundi fabricam, quatenùs ad scientiæ rationem pertinet, demolitus sum; ac tandem perfectissimam scien-

tiæ præſertim phyſicæ normam propoſui. Hæc executus ſum, aut exequi certè conatus ſum, quâ brevitate, perſpicuitate, ac ſtyli ſimplicitate potui, quia res ipſæ valdè difficiles ſunt & abſtruſæ, interrogatione diſcentis Diſcipuli, & Magiſtri reſponſione docentis: an rectè, an feliciter? veſtrâ malim quàm meâ ſententiâ pronunciari. *Valete*, DECANE SAPIENTISSIME, VIRI CLARISSIMI, *& æqui bonique conſulite.*

INDEX
CAPITUM ET ARTICULORUM.

CAPUT I.
De Vero.

I. *Quare homines verum naturâ duce scire desiderant?* pag. 1

II. *Quid verum sit & unde procedat seu derivetur?* 4

III. *Quomodò sciri potest aliquid esse verum?* 6

CAPUT II.
De necessitate sensuum ad investigandum verum.

I. *Quare sensibus indigemus ad investigandum verum?* 8

II. *De ideis innatis, Dei præsertim & veri.* 10

CAPUT III.
De veritate sensuum.

I. *Quid est veritas sensuum?* 19

II. *Quare non sensus, sed sola mens percipit veritatem?* 23
III. *Quid sunt species impressæ?* 25

CAPUT IV.

De veritate mentis.

I. *Quodnam est proprium humanæ mentis objectum?* 27
II. *Discrimen inter intellectum & sensum.* 29
III. *Materia signata est principium individuationis* 31
IV. *Formæ per se subsistentes omnes specie distinguuntur, non solo numero.* 33
V. *De singularibus sensibilibus nulla est definitio seu demonstratio.* 34
VI. *Mens non errat circà proprium objectum nisi per accidens.* 36

CAPUT V.

Quomodò mens humana cognoscit veritatem.

I. *Mens humana cognoscit veritatem componendo & dividendo, & quare?* 37
II. *Quandonam compositio & divisio sunt veræ, & quomodo id scitur?* 40

III. *Discrimen sensum inter & intellectum.* 43
IV. *Quare omnia rerum sensibilium attributa non sunt necessaria?* 45

CAPUT VI.

De intelligentiâ.

I. *Quid est intelligentia?* 49
II. *Universalissima principia.* 50
III. *Universalia.* ibid.
IV. *Specialia.* 51
V. *Primum simpliciter principium.* 52

CAPUT VII.

De hoc Principio,

Quidquid clarè distinctèque seu evidenter percipitur, est verum seu certum.

I. *Non est primum principium.* 54
II. *Nullo modo est principium.* 57
III. *Est tamen verum.* 62

CAPUT VIII.

De sapientiâ.

I. *Quid est sapientia?* 63
II. *Quid ens reale, quid ens rationis?* 65

III. *Divisio entis realis.* 67
IV. *Divisio substantiæ.* 69
V. *Divisio accidentis.* 70
VI. *De abstractione formæ à materiâ.* 71

CAPUT IX.

De scientiâ.

I. *Quid est habitus scientiæ?* 75
II. *Quid actus?* 77
III. *Quid certitudo scientiæ?* 78
IV. *Quid evidentia scientiæ?* 82

CAPUT X.

De demonstratione.

I. *Quid est syllogismus?* 86
II. *Quid demonstratio?* 90
III. *Demonstrationis exemplum.* 94

CAPUT XI.

De primo subjecto demonstrationis.

I. *Quid & quotuplex primum subjectum?* 99
II. *Primum est univocum tum secundùm nomen, tum secundùm rationem.* 100

III. *Secundum est univocum secundùm rationem tantùm.* ibid.
IV. *Tertium est analogum.* 101
V. *De æquivocis quid agendum?* 102
VI. *Quomodò procedendum?* ibid.

CAPUT XII.

De definitione.

I. *Quid & quotuplex definitio?* 104
II. *De principiis causisque rerum quatenùs inserviunt definitioni.* 105
III. *De definitione accidentium.* 111
IV. *De definitione Logicâ.* 113

CAPUT XIII.

De divisione generis in suas species.

I. *De divisione generis in suas species universè.* 115
II. *De divisione substantiæ.* 117
III. *Quid est substantia pura, quid impura?* 119
IV. *Quâ ratione pura ab impurâ dignoscitur?* 126
V. *An belluarum anima dicenda sit substantia immortalis?* 132

VI. *An anima hominis sit substantia, an immortalis?* 137
VII. *Anima non est accidentium congeries nec subtilis materia in belluis aut plantis.* 149

CAPUT XIV.

I. *Divisio substantiæ in extensam & cogitantem est inepta.* 152
II. *Inducit in ignorationem corporis naturalis & mentis.* 154
III. *Physicæ & Metaphysicæ.* 156
IV. *Error & ignorantia Cartesii, unde nata?* 158
V. *Substantiæ omnis ratio ex operationibus est repetenda.* 163
VI. *Totius Physicæ ratio.* 166
VII. *Ignota prorsùs Cartesio.* 167
VIII. *Ne quidem quid scire sit, novit.* 175

CAPUT XV.

De Cartesianâ Mundi fabricâ.

I. *Cartesii Mundi fabrica seu fabula Christiano Philosopho prorsùs indigna, Philosopho quidem, quia nulla ex eâ erui potest scientia.* 179

II. *Nulla probabilis opinio.* 182
III. *Durare nequit Carteſii Mundus.* 190
IV. *In continuo non ſunt partes actu diſtinctæ.* 192
V. *Indigna Chriſtiano, quia nec Dei ſapientiam, nec ejus providentiam indicat.* 195

CAPUT XVI.

De Carteſianis motûs regulis.

I. *Omnes ſunt falſæ.* 200
II. *Deus nec materiam nec motum in certâ quantitate creavit.* 201
III. *Corpus naturale non permanet in eo ſtatu, in quo primùm poſitum fuit.* 202
IV. *Corpus non ſemper rectà movetur.* 204
V. *Tertia Carteſii regula eſt falſa.* 205

CAPUT XVII.

De modo tradendi ſcientiam.

I. *Quid una ſcientia ſit?* 208
II. *Quod ſubjectum attributionis Phyſica?* 209
III. *Quæ ejus principia cauſæque?* 211
IV. *De primario attributo Phyſicæ.* 212

V. *De ſecundariis*, 213
VI. *De universâ Mundi compage.* 215
VII. *De ſimplicibus corporibus.* 217
VIII. *De mixtis.* 218
IX. *De animatis.* 219

CAPUT XVIII.

I. *Humanitas eſt anima rationalis tota, ex Sacrâ Scripturâ.* 222
II. *Ex D. Auguſtino ſecundùm Sacram Scripturam declaratur animam rationalem eſſe partim materialem, partim immaterialem.* 224
III. *Ex Ariſtotele anima eſt eſſentia corporis naturalis organici, ut aſpectus eſt oculi eſſentia.* 230
IV. *Ariſtoteles primus docuit quid ſit accuratè ſcire.* 233
V. *Quid ſcit accuratè ſcire?* 234
VI. *Pauci verè Phyſici.* 237
VII. *Quomodo animæ natura eſt inveſtiganda.* 240
VIII. *Sola mens immortalis eſſe demonſtratur in homine, non anima tota.* 245

CAPUT

CAPUT PRIMUM
DE VERO.

I. Quare homines verum naturâ duce scire desiderant? II. Quid verum est & unde procedit seu derivatur? III. Quo modo scirî potest aliquid esse verum?

DUARE naturæ quodam instinctu verum scire desideramus?

I. Quare homines naturâ duce verum scire desiderant.

M. Omnis vis seu facultas suum avidè desiderat objectum; visus, *v. c.* lucem & colores videre; sonos auditus audire: odo-

res odoratus; guſtus ſapores; & ſic deinceps. Verum autem eſt proprium humanæ mentis objectum. Unde mirari quis minimè debet, ſi mens hominis verum ſcire deſideret; imò verò mirari potius licet, quare hoc non ſit præcipuum & vehementiſſimum hominis deſiderium.

D. Quare facultates omnes ſua deſiderant objecta?

M. Quia factæ ſunt & ordinatæ propter objecta ſua: ab iis perficiuntur & complentur.

D. Quare verum ſcire primum eſſe debet hominis deſiderium?

M. Quia mens hominis eſt præcipua ejus facultas quæ cæteris præeſſe, eas regere debet ac ducere, eique reliquæ ex rectâ primâque inſtitutione naturæ ſervire debent: ordo enim poſtulat ut inferiora ſint propter ſuperiora eiſque ſerviant. Regere autem nequit niſi veritatem noverit.

D. Unde igitur factum est, ut res non ita sit? in paucis enim videmus, hoc ardens desiderium vigere.

M. Id ex vitiatæ naturæ labe procedit, ac magnum est, & evidens indicium violati ordinis primùm instituti, quo mens hominis Deo perfectè subjecta fuit, ac cæteræ vires menti. Verùm exquo ea recessit à Deo, cæteræ facultates ab ipsâ aut ejus imperio recesserunt. Unde nunc in pauciſſimis viget ardens illud desiderium; nam maxima pars hominum belluarum more solis sensibus ducitur, quæ victui sunt necessaria quærunt: qui elegantiores videri volunt, imaginationem ducem sequuntur; qui vitam amant activam, rationem particularem sæpe consulunt: longè verò pauciſſimi ad universalem rationem, seu mentem assurgunt, & ardenti veri cognoscendi studio tenentur. Nisi autem universalem rationem consulamus, ad finem no-

ſtrum ultimum non benè collimamus.

II. Quid verum, & unde derivatur, ſeu procedit.

D. Quid tandem eſt illud verum?

M. Nihil aliud eſt quàm id quod eſt, & verum ſcire, nihil aliud eſt quàm ſcire id quod eſt, aut modum quo eſt.

D. Undenam verum derivatur?

M. Ab ipſâ veritate.

D. Quid autem eſt ipſa veritas?

M. Ut verum eſt id quod eſt, ita ipſa veritas eſt ipſum eſſe, quod Deus eſt, qui cùm ſit primum ens, quod neque à ſe, neque ab alio eſſe poſſit, nec particeps eſſe fieri, prorsùs eſt neceſſe, ut ſit ipſum eſſe, & ipſa proinde veritas, à quo res omnes procedunt, & verum omne derivatur.

D. Quomodo res omnes à Deo procedunt?

M. Per intellectum, non autem per naturam.

D. Quare non per naturam?

M. Quia forent Deo ſimiles ſe-

cundùm naturam, aut ejuſdem potiùs naturæ cum Deo; ut filius eſt ejuſdem naturæ cum patre.

D. Quomodo per intellectum procedunt?

M. Eo aut ſimili modo quo res arte-factæ ab artifice.

D. Quis eſt ille modus?

M. Per ideam; fingit enim artifex operis ideam, eamque materiam formando communicat, ubi materiâ res conſtat, illam ſuæ ideæ ſimilem efficiendo. Deus autem ſuâ mente rerum omnium ideas complectitur, aut ipſe potiùs eſt rerum omnium ſubſiſtens idea, res omnes repræſentans.

D. Quandonam autem res cenſetur vera?

M. Quando artificis ideæ eſt planè conformis, aut perfectè ſimilis; ita ut eadem aut planè ſimilis ſit mentis & operis facti forma.

III. Quomodo res veræ esse dignoscitur.

D. Verùm cum nos non possimus eam, quæ in mente stat artificis, ideam intueri; quomodo sciemus rei formam ipsi esse planè perfectéque similem.

M. Sciemus ex fine aut functione operis; quia ex eâ solet artifex ideam suam exprimere; cúmque opus hunc finem aut functionem assequitur sibi propriam, tum ideæ perfectè similis esse dicitur & vera. Hinc rerum veritatem ex earum functionibus colligimus; ita verum dicimus oculum, non eum qui externam oculi speciem refert, sed eum qui videt; sic horologium verum vocamus, quod indicat horas; non illud quod similitudinem habet horologii.

D. Video rem esse veram quando est perfectèconformis ideæ artificis, & esse conformem, quando suam assequitur functionem. Sed nondum satis intelligo, quomodo illa in nobis formatur cognitio?

M. Cùm operis idea seu forma menti nostræ communicatur.

D. Quomodo menti nostræ communicatur?

M. Tribus modis. 1°. ab ipso artifice. 2°. à rebus ipsis. 3°. ab eo qui eum accepit ab artifice, aut à rebus ipsis, & quidem si de Deo agatur, primus modus vocatur infusio, quâ Deus rerum species & ideas paucorum mentibus, Adami scilicet & Salomonis, & paucorum fortassis aliorum infudit; hic enim modus est valdè rarus. Secundus verò modus est, quo rerum sensilium ideas sensuum ope ex rebus ipsis mens colligit, de quo modo plura mox dicemus; & hic est modus inventionis, qui frequentior est quàm primus, licet non ita frequens ac tertius, qui vocatur doctrinæ, cæteris quidem longè frequentior, sed & frequentiùs in errorem inducens, unus enim deceptus alios fa-

cilè decipit; præsertim si vir sit, aut habeatur insignis.

D. Quid ergo facto opus est?

M. Qui verum diligenter investigare voluerit, tres illos modos, quantùm fieri potest adhibebit; divinam opem implorabit, res ipsas considerabit, alios audiet & leget. Cùm autem secundus modus, à recto sensuum usu pendeat, de eorum veritate pauca dicenda sunt, sed priùs de eorum necessitate dicemus ad investigandum verum.

CAPUT II.

De necessitate sensuum ad investigandum verum.

I. Quare sensibus indigemus ad investigandum verum. II. *De ideis innatis, Dei (præsertim & veri.*

I. Quare sensibus indigemus ad investigandũ verum.

D. CUM verum sit proprium humanæ mentis objectum, quare sensuum ope indigemus ad

illud investigandum?

M. In rebus ordinatis inferiora ejusdem præsertim generis univoci vel analogi & supposîti superioribus inservire debent. Sensus autem facultates cognoscentes sunt; mens verò est suprema vis cognoscens in homine; sensus ergo tum interni, tum externi menti debent inservire.

Deinde singulis planè momentis experimur nos non posse intelligere nisi consulendo phantasmata, quæ orta sunt à sensuum externorum impressionibus, & ideò in Arithmeticâ, Geometriâ & Physicâ figuris utimur, ut phantasmata faciliùs & accuratiùs formemus, ex quibus rerum species & ideas exprimamus.

Tum nemo potest veritatem aliquam à se conceptam nobis communicare, nisi per voces aut sensibilia aliqua signa.

Ipsa prætereà prima mentis operatio, quæ à nonnullis apprehensio

ſimplex vocatur, ab aliis idea, quædam ratio eſt : omnis autem ratio ex præcedenti quâdam cognitione deducitur, quæ non eſt alia in homine, quàm ſenſuum cognitio.

Denique videmus eos, qui ſenſu carent aliquo naſcendo, ut cæcinati, ſenſus illius objecti nullam exprimere poſſe ideam lucis *v. c.* aut coloris ; quæ ſatis indicant ideas noſtras ſuam ſenſibus originem debere, non eodem tamen modo in ſenſibus ſunt ac in intellectu, licet ab iis procedant, ut ſuo loco dicemus.

D. Quid ergo cenſes de innatis nobis ideis Dei præſertim & veri?

II. De ideis innatis Dei præſertim & veri.

M. Nullæ ſunt, & vera tabula raſa, eſt mens noſtra, cùm primùm infunditur, cæque ideæ innatæ ab iis fictæ ſunt, qui nullam omninò nec ſenſûs, nec mentis, nec ideæ notionem habuerunt.

D. Quomodo Carteſius nullam

mentis habuit notionem, quâ nihil meliùs novit?

M. Nullam omnino, quia eam cum sensu confudit, eamque per cogitationem definivit, quam omnibus sensibus externis & internis tribuit. Sed neque ideæ, ut alio loco plenè satis ostensum est.

Disputatione citatâ de existentiâ Dei, &c.

D. De sensu quidem & mente non ita miror, quia paucis eæ vires, aut earum distinctio nota est; sed quòd ignoraverit quid sit idea, non satis capio?

M. Ignoravit tamen, & gravissimi viri ejus admiratores acres exercuere de ideis contentiones, quas satis perspectas non habuerunt.

D. An res ita difficilis est?

M Planè difficilis iis qui imaginationem aut opinionem tantùm hominum sequuntur, iis verò qui rationem consulunt, non ita difficilis.

D. Quæso, doceas, quo modo

consulenda sit ratio, ut vera formetur ideæ notio?

M. Habes-ne aliquam accuratam rei alicujus ideam? si habeas, facilè scies quid sit idea.

D. Habere me puto circuli vel hominis: veram enim circuli ideam esse puto, quòd sit figura plana, unâ lineâ comprehensa quæ circumferentia dicitur, quæ æqualiter undique distet à centro seu puncto medio. Et veram hominis ideam esse puto, quòd sit animal rationale, seu res vitâ, sensu, & ratione prædita.

M. Quare putas veram circuli ideam esse figuram planam unâ peripheriâ contentam, quæ æqualiter distet undique à centro?

D. Quia hæc est propria ratio circuli, ex propriis ejus principiis collecta, quæ sunt peripheria & centrum, & æqualis illius ab hoc distantia.

M. Ergo

M. Ergo idea est propria rei ratio seu definitio ex propriis rei principiis collecta. Undenam hanc ideam hausisti?

D. Ex variis, aut omnibus, quos vidi, circulis.

M. Ergo sensibus hanc ideam debes?

D. Non diffiteor.

M. Nunc quare veram hominis ideam esse putas, animal rationale, seu rem vitâ, sensu & ratione præditam?

D. Quia hæc est propria hominis ratio ex omnibus ejus operationibus collecta, sed præsertim propriis.

M. Ergo collige veram hominis, & rei cujuslibet naturalis ideam esse propriam ejus rationem seu definitionem ex omnibus ejus operationibus, sed præsertim propriis collectam. Undenam hanc hominis ideam hausisti?

D. Ex omnibus hominibus in quibus obſervavi vitæ, ſensûs, & rationis operationes.

M. Collige nunc utriuſque ideæ notionem ſimul, & plenam perfectamque habebis ideæ notionem, dicendo ideam eſſe propriam rei rationem ſeu definitionem ex propriis rei principiis, aut propriis ejus operationibus & effectis collectam.

D. Video: ſed quare modò ex principiis, modò ex operationibus ſeu effectis ideam ſeu rationem rei colligimus?

M. Quia duplici modo ratiocinamur, à priori ſeu per principia & cauſas; & à poſteriori, ut ſchola loquitur; ſeu per operationes & effecta.

D. Quandonam autem à priori ratio colligenda eſt, & quandonam à poſteriori?

M. Ratio procedere ſemper debet à notioribus ad minùs nota. Igi-

tur ubi principia notiora sunt, ab iis ratio duci debet; ubi verò effecta seu operationes notiores sunt principiis, ex effectis aut operationibus rei ratio & idea colligenda est; ubi verò hoc contingit, pleniùs & uberiùs dicemus agendo de definitione, quæ vera est rei idea.

D. Multi tamen volunt innatam in nobis esse ideam Dei?

M. Ii de re seriò minimè cogitant. Quia si qua foret innata nobis idea, ea in omnibus hominibus reperiretur, & quidem eadem: at multi sunt Athei qui nullam Dei habent ideam, nec ullam ejus ideam esse volunt: multæ quoque sunt barbaræ. In Asia, in Africâ & Americâ non modò gentes, sed exculti ssimi populi, ut Sinenses, qui nullam omninò Dei notionem habent, sed ne quidem ullum nomen, quo Deum exprimant. Quin etiam Græci Romanique plures agnove-

runt Deos, licet nihil magis cum verâ Dei notione pugnet quàm illa pluralitas. Si quidem Dei nomine intelligimus ens perfectiſſimum; fieri verò non poteſt, ut duo aut plura ſint perfectiſſima, quia cùm à ſe naturâ diſtincta ſupponantur, neceſſe prorsùs eſt ut ſingula proprias ſuas habeant perfectiones, quæ aliis minimè conveniant & per quas à ſe invicem diſtinguantur. Præſertim cùm in Deo nulla ſit materia, ſeu materiæ portio, quâ unum individuum ab alio diſtinguatur.

Denique nonnulli inter ipſos Judæos & Chriſtianos, veros Dei cultores, Deum corporeum eſſe voluerunt, quem alii planè ſpiritalem agnoſcunt, quæ omnia ſatis declarant nullam in nobis innatam eſſe Dei ideam : imò verò ne quidem ullam eſſe poſſe docere videtur. S. Thomas 1. p. q. 3 a. 5 in c. cùm neget ullum ejus genus, ullam dif-

ferentiam, ullam definitionem, aut demonſtrationem niſi per effecta eſſe, quæ ita diſtant à Deo, ut propriam ejus rationem nunquam exhibere valeant. Quæ tamen ſola meretur ideæ nomen, ut mox oſtendimus, neque enim alia vel circuli vel hominis notio vocatur idea, quàm quæ ſit ratio eorum propria.

D. Quid de veri ſentis ideâ?

M. Eam ex rebus ſenſibilibus colligimus modo ſuperiùs dicto. Quare tu imaginem aliquam vocas veram, aut puerum aliquem verum ſui patris filium?

D. Veram voco imaginem quia eſt perfectè ſimilis ſuo prototypo, & verum filium qui patri ſuo perfectè ſimilis eſt.

M. Ergo collige, ut ſuperiùs, veri rationem eſſe perfectam ſimilitudinem alicujus cum alio, à quo aliquo modo proceſſit aut expreſſum eſt. Unde porrò hauſiſti hanc

veri ſive ideam ſive notionem, non aliunde certè quàm à ſenſibus, ſi verum ingenuè fateri velis, nec aliunde Dei habetur notio, quam Chriſtiani quodam modo ſibi innatam eſſe putant, quia eam à teneris hauſerunt annis inter ipſos nutricis aut matris amplexus: ſed res non ita ſe habet inter Barbaros, qui non habent Deum tam appropinquantem ſibi, acnos, quæ magna noſtra fœlicitas eſt, & cujus magnam aliquando reddemus rationem. Hinc miſſionis & prædicationis neceſſitas, ut pleriſque innoteſcat Deus. Pauciſſimi enim per ſe Dei notionem hauriunt ex ipſo rerum ſenſibilium intuitu.

CAPUT III.

De veritate sensuum.

I. Quid est veritas sensuum? II. Quare non sensus sed sola mens percipit veritatem? III. Quid sunt species impressæ?

D. QUid est veritas sensuum? 1. Quid est veritas sensuum.

M. Est eorum cum suis objectis conformitas, objecta enim formas suas externas sensibus communicant, eosque sibi similes efficiunt. Ita videmus similitudines nostras in oculis intuentium nos, ut in speculis.

D. Quid vocas objecta sensuum?

M. Omnia sensibilia.

D. Quotuplicis sunt generis?

M. Duplicis, alia sunt sensibilia per se, quæ per proprias suas species percipiuntur, ut lux, color, sonus,

odor, figura &c. alia verò ſunt ſenſibilia per accidens, quæ non per proprias alicui ſenſui ſpecies dignoſcuntur, ut equus, aſinus, mulus, circà quæ ſæpiùs errant ſenſus, quia ad hæc percipienda per ſe primò non ordinantur.

D. Quot ſunt ſenſibilia per ſe?

M. Ea ſunt in duplici differentiâ, communia ſcilicet & propria.

D. Quænam ſunt ſenſibilia communia?

M. Sunt ea quæ à pluribus ſenſibus percipi poſſunt, à viſu *v. c.* ſimul & tactu; eaque ſunt magnitudo, numerus, figura, ſitus, motus & quies, circà quæ ſenſus quoque frequenter errant, quia ad hæc percipienda nullus unus deſtinatur ſenſus, ſed plures ſunt adhibendi.

D. Senſibilia propria quænam ſunt?

M. Sunt ea, quæ ab uno quodam ſenſu percipiuntur, ut lux &

color, à solo visu; sonus ab auditu solo; odor ab olfactu solo; sapores à solo gustu; & qualitates tactiles à solo tactu; circà quæ sensus non errant ubi debitæ adsunt conditiones.

D. Quare non errant ubi debitæ adsunt conditiones?

M. Quia à naturâ, hoc est, ab authore naturæ Deo eorum condi-tore destinantur ad hæc objecta percipienda; non errat autem nec fallitur Deus in suis operibus.

D. Quænam sunt illæ conditiones?

M. Quatuor vulgò recensentur.

Prima est ut objectum sit proprium, ut jam diximus.

Secunda est, ut sit in debitâ distantiâ, hoc est, nec propiùs quàm par est, quia organo noceret, aut medii actionem impediret, ut si quid oculo proximè imponeretur: nec longiùs quàm convenit, quia

res naturales finitam habent agendi ſphæram, ultrà quam paulatim deficit earum vis, ac tandem ceſſat; ſi nimis diſſita ſit.

Tertia conditio eſt, ut medium inter objectum & ſenſum ſit uniforme, ſeu unius tenoris benéque diſpoſitum; ſecùs fallitur ſenſus, ſeu res aliter apparet, quàm eſt; ita remus aquæ partim immerſus apparet fractus, propter diverſam raritatem & denſitatem medii, aëris ſcilicet & aquæ. Similiter ſi aër ſit nebuloſus, res majores aut non ſatis diſtinctæ videbuntur: ut accidit Lunæ aut Soli orienti propter vapores; quia medium recipit impreſſionem ab objecto, eamque communicat ſenſui: objecta enim priùs agunt in medium quàm in ſenſum.

Quarta conditio eſt, ut organum ſenſûs ſit benè affectum, & ab omni pravâ qualitate prorsùs immune: organum enim ſuam affectio-

nem cõmunicat impressioni objecti, aut eam ab eo suscipit; hinc oculorum flavedine laborantibus, omnia videntur flava; & iis quorum linguæ extremitas est aspersa bile, amara videntur omnia: sic omnes impressiones in auro factæ sunt aureæ seu fulvæ. His conditionibus si moram adhibeas & attentionem, vix comperies sensus errare; an autem adsint hæ conditiones, rationis est observare.

Sed & scire decet sensus non tantùm pati ab objectis suis, eorum species recipiendo; verùm etiam simul agere, has species discernendo & dijudicando.

D. An sensus percipit veritatem? II. Non sensus percipit veritatẽ, sed mens.

M. Veritas sensûs, ut diximus, est conformitas ejus cum objecto suo, quæ in eo sita est, ut eadem seu planè similis sit in objecto & sensu forma, quam conformitatem percipere non potest sensus, nisi

videat eam quæ eſt in ſe, ſeu organo ſuo formam, eamque cum objecti formâ conferat, quod ſenſus præſtare non poteſt: non enim viſus poteſt eam, quæ eſt in ſe formam videre aut in oculo, illamque cum objecti formâ conferre, ut omnes nôrunt.

D. Quare ſenſus hoc præſtare nequeunt?

M. Quia vires ſunt materiales & organicæ; quæ certâ complexione & integritate partium ſeu perfectione conſtant; certo numero, ordine, figurâ & ſitu contentarum, quæ non poſſunt ſe reflectere, aut ſuprà ſe invicem ſe replicare, ſine mutuâ penetratione, quæ corporeæ naturæ minimè convenit; quæque ſine manifeſtâ totius organi diſſolutione fieri nequit. Veritatis ergo cognitio ad ſolam mentem pertinet.

D. Quare ſola mens percipit veritatem?

M. Quia facultates inter hominis cognoscentes sola est immaterialis, & inorganica; nullum habet organum, nullam in corpore sedem seu locum, sed tota in toto est, & tota in quâlibet parte corporis. Qui eam in conario collocant nervorum motui attentam, ut araneam in nido suo telæ suæ motioni intentam, ad capiendas muscas, aut eam certo corporis loco circumscribunt, ejus naturam penitùs ignorant: & hi vim imaginationis superare nequeunt, quia loco contineri aut circumscribi corporis est, non mentis affectio.

D. Sæpiùs audivi te, & alios de specicbus, quas vocatis intentionales, loquentes, quæso dicas quid illæ sunt? III. Quid sunt species intentionales.

M. Nihil aliud sunt, quàm leviores objectorum impressiones in sensibus aut eorum organis factæ, quibus nec organi natura, nec temperies admodum mutatur; qualis illa

caloris impreſſio, quam manu ſentimus, ſtatim ac eam admovemus igni, priuſquam incaleſcat aut calida fiat.

D. Quare tam leves ſunt?

M. Quia non debent ſentiri niſi præſentibus objectis, ac iis amotis ſtatim evaneſcere, at ſi fortiores forent, iis etiam abſentibus perſeverarent, ac ſentirentur, nec alterius objecti impreſſionem recipere poſſent ſaltem tam facilè: Deinde organi temperiem violarent, quæ valdè delicata eſt, ac juſtam ejus proportionem diſſolverent. Unde vulgò veréque dicitur, vehemens ſenſibile lædit ſenſum; quod experietur facilè, quiſquis ſolem intueri voluerit.

CAPUT IV.

De veritate mentis.

I. Quodnam est proprium humanæ mentis objectum. II. Discrimen inter intellectum & sensum. III. materia signata est principium individuationis. IV. Formæ per se subsistentes, omnes specie distinguuntur, non solo numero. V. De singularibus sensibilibus nulla est definitio seu demonstratio. VI. Mens non errat circà proprium objectum, nisi per accidens.

D. QUid est veritas mentis?

M. Est ejus cum objecto suo conformitas, ita ut eadem sit aut planè similis in mente, ac ejus objecto forma.

D. Quodnam est mentis objectum? I. Proprium mentis objectū.

M. Est ipsa rei naturalis essentia.

D. Quare rei naturalis essentia est propriùm humanæ mentis objectum?

M. Quia quod primum eſt in re naturali, debet eſſe proprium primæ facultatis cognoſcentis objectum. Eſſentia autem rei naturalis, eſt quid primum in eâ, & mens hominis eſt prima ejus facultas cognoſcens, ergo rei naturalis eſſentia eſt proprium humanæ mentis objectum.

D. Quare non divina aut angelica eſſentia?

M. Quia cognitio fit, ſecundùm quod res cognita eſt in cognoſcente; eſt autem in cognoſcente ſecundùm modum exiſtendi naturæ cognoſcentis: unde ſi modus exiſtendi naturæ cognitæ ſuperet modum exiſtendi naturæ cognoſcentis, ea non poteſt naturam rei cognitæ naturaliter in ſe ſuſcipere, nec proinde eam naturaliter clarè cognoſcere: porrò modus exiſtendi Dei proprius, & uni ſoli Deo conveniens, eſt quòd ejus eſſentia ſit ejus eſſe, ſeu exiſtentia, unde in ſolo Deo non diſtin-

guitur essentia & esse. Soluſque Deus necessariò est, cæteris verò rebus accidit esse, seu contingenter sunt, ita ut possint non esse. Hinc ab יהוה fuit, proprium Hebræis Dei nomen יהוה derivatum est quod Græci per ὢν, *ens* seu *existens* exprimunt, Latini verò per, *Ego sum qui sum*, quòd esse solius Dei essentiam significet, & ita à solâ divinâ mente naturaliter cognosci clarè potest essentia Dei, juxtà illud; Deum nemo vidit, nec videre potest, nec homo, nec Angelus, hoc est clarè cognoscere.

Angelica verò natura seu essentia existit separata ab omni subjecto seu materiâ, seu est per se subsistens, & sic à sola essentiâ per se subsistente, seu divina & angelica naturaliter clarè cognosci potest.

II. Discrimen sensûs & intellectûs.

Humana verò natura, seu anima nostra existit in materiâ individuâ seu singulari, & ita solas eas naturas clarè cognoscit aut essentias quæ in

materiâ ſingulari ſunt aut exiſtunt; verùm quia partim eſt immerſa materiæ, partim verò emergit extrà materiam, ut loquitur S. Thomas, ita duplici cognoſcendi facultate prædita eſt, ſenſu ſcilicet & intellectu; quarum ille actus eſt & perfectio alicujus organi, ut viſus, *v. c.* oculi, & ita ſolas naturas & eſſentias percipit eas, quæ ſunt actus ſeu perfectiones alicujus individuæ ſeu ſingularis materiæ, quatenùs ſunt illius actus; & ab eâ ſingulares fiunt, & hinc eſt quòd ſenſus ſola ſingularia ſenſibilia percipiant & quidem quatenùs ſingularia ſunt: at verò mens licet in materiâ ſit ſeu corpore, nullius tamen organi actus eſt aut perfectio, ſed ab omni organo ſecreta & ſeparabilis eſt, & ita percipit naturas quidem & eſſentias quæ in materiâ ſunt, ſed eas à materiâ ſeparando, quæ principium ſingularitatis & individuatio-

nis est, ac universales eas per mentem efficiendo, & ita proprium humanæ mentis objectum, est natura seu essentia, subsistens in materiâ individuâ, sed ab eâ per mentem separata seu concepta sine tali materiâ.

D. Quare vis materiam, quam vocant signatam, esse principium singularitatis seu individuationis?

III. Materia signata est principium singularitatis.

M. Quia est id quo unum individuum distinguitur ab alio, seu ab aliis individuis ejusdem speciei, nihil enim est in iis præter materiam & formam; non differunt autem, nec distinguuntur ratione formæ, quæ una & eadem est, ergo necesse est ut distiguantur per materiam, quæ distincta est seu cujus portiones aut partes à se divisæ sunt per veram divisionem aut designationem; *v. c.* si sigillum habens leonem impressum, centies applices eodem modo uni parti materiæ, erit tan-

tùm leo unus, si verò centum distinctis partibus applicetur, erunt centum leones, nec ulla potest afferri ratio hujus multiplicationis ac distinctionis numericæ, nisi à distinctis materiæ partibus; estque eadem planè ratio in omnibus formis in materiâ individuâ subsistentibus, non distinguitur *v. c.* equinitas Rhæbi & Bucephali, nec humanitas Petri & Pauli, nisi quia in distinctis materiæ partibus subsistunt.

Hinc duplicis generis accidentia in rebus naturalibus distinguuntur, alia quæ sequuntur formam, & propria sunt rebus omnibus ejusdem speciei; quæ in eâdem formâ conveniunt: alia verò quæ sequuntur materiam, quæ communia dicuntur, quia materia sæpè communis est rebus non tantùm unius speciei, verùm etiam diversi generis.

D. Verùm si materia sit commu-

nis, quo modo per eam distingui possunt individua?

M. Non distinguuntur per materiam communem aut absolutè sumptam; sed per materiam signatam, seu certas materiæ communis partes aut portiones, quæ ideò signatæ dicuntur.

D. Quomodo ergo distinguuntur formæ per se subsistentes, quæ nulli materiæ applicantur, nec applicari possunt ut Angeli. IV. Formæ per se subsistentes specie non solo numero distinguuntur.

M. Eæ per se distinguuntur & quidem specie, non verò solo numero, quare quot sunt Angeli, tot sunt specie distincti, ita ut non possint esse duo Angeli ejusdem speciei.

D. Quomodo non possunt esse duo Angeli ejusdem speciei?

M. Non possunt, quia nihil in eis esset præter formam, in quâ conveniunt, materia verò nulla quâ distinguantur, hinc necesse prorsùs

eſt eandem eſſe naturam, Patris, Filii & Spiritûs Sancti, minimè verò diſtinctam, quia divina per ſe ſubſiſtit natura, nec ulli materiæ ſeu ſubjecto applicatur ſeu applicabilis eſt.

Hinc quoque eſt quòd ſenſus ſola ſingularia percipiant, quia vires organicæ ſunt certis materiæ partibus applicatæ, quæque iis imprimuntur ſpecies propter eamdem rationem, ſingulares ſunt, & ſola ſingularia repræſentant; contrà verò mens, cùm libera ſit à materiâ, non poteſt res percipere niſi liberando eas à materiâ, & univerſales faciendo. Unde etiam patet, quòd nulla ſit rei ſingularis quà ſingularis definitio ſeu demonſtratio, nulla prorsùs idea.

V. Singulariùm ſenſibilium nulla

D. At enim fiunt de ſole ac de lunâ definitiones ac demonſtrationes quæ tamen ſingularia ſunt.

M. Fiunt quidem, ſed non qua-

tenùs ſingularia ſunt, ſed quatenùs ſecundùm ſpeciem ſpectantur, ſicut fieri poſſent definitiones & demonſtrationes de homine, licet unus tantùm foret, ſed tum homo ſecundùm ſpeciem ſpectaretur. Ita fiunt demonſtrationes de triangulo deſcripto qui ſingularis eſt, ſed non quà ſingularis; ſed ſecundùm genus aut ſpeciem ſpectato, & hoc quidem principium tantæ neceſſitatis eſt, ut illud vix quiſquam ignorare poſſit, & aliquam habere ſcientiæ phyſicæ rationem, aliquod mentis & ſenſûs diſcrimen percipere; aut aliquam mentis ipſius & ejus immortalitatis notionem aſſequi, ut pleniùs alibi oſtendemus.

eſt definitio, nulla demonſtratio.

Itaque proprium humanæ mentis objectum eſt natura, forma ſeu eſſentia ſubſiſtens quidem extrà mentem in materiâ ſingulari, ſed ab eâ ſeparata, & in mentem recepta, quâ mens fit eidem naturæ extrà

mentem existenti conformis.

VI. Mens non errat circa propriũ objectum.

Quemadmodum autem sensus nunquam errant circà proprium objectum servatis conditionibus, ut superiùs diximus; quia ad illud percipiendum ab authore naturæ sapientissimo destinantur, qui nec fallere nec falli potest, ita quoque mens propter eamdem rationem nunquam errat circà proprium suum objectum nisi per accidens, quando *v. c.* definitionem unius applicat alteri, aut aliquid addit definitioni, quod cum eâ non cohæret.

D. An mens ita tum vera est, ut cognoscat veritatem?

M. Minimè verò. Sed est vera ut sensus, non cognoscendo veritatem, habet quidem tum ideam objecti, sed nondum cognoscit veritatem, ut sensus habet objecti sui speciem non cognoscendo veritatem.

CAPUT

CAPUT V.

Quomodo mens humana cognoscit veritatem.

I. *Mens humana cognoscit veritatem componendo & dividendo & quare.* II. *Quandonam compositio & divisio sunt veræ, & quomodo id scitur.* III. *Discrimen sensum inter & intellectum.* IV. *Quare omnia rerum sensibilium attributa non sunt necessaria?*

D. QUomodo mens humana cognoscit veritatem?

M. Componendo & dividendo seu affirmando & negando, cum scilicet jungit prædicatum subjecto, aut illud ab eo removet, asserendo *v. c.* homo est animal, homo non est lapis. I. Mens humana cognoscit veritatem componendo & dividendo.

D. Quomodo istud sciemus?

M. Sciemus per voces quæ sunt signa conceptuum nostrorum, quæ-

que non tantùm exprimunt conceptus noſtros, ſed modum etiam quo concipimus; cùm autem unam tantùm vocem, *v. c.* homo profero, nec veritatem, nec falſitatem dico, imò nequidem, cum plures profero ſine affirmatione, aut negatione, *v. c.* cum dico animal rationale, nihil affirmando vel negando, nec verum nec falſum dico, ſeu exprimo; ſimiliter ergo mens noſtra, nec verum nec falſum cognoſcit, niſi componendo aut dividendo, ſive conjungendo aut ſeparando ſuas ideas.

D. Quare mens noſtra non cognoſcit veritatem niſi componendo aut dividendo?

M. Propter ſuam imperfectionem, divina enim mens ſtatim omnia videt in ſemet-ipsâ; quia omnium rerum perfecta eſt cauſa exemplaris ſeu idea; angelicæ quoque mentes ſtatim omniâ percipiunt objecta ſua: quia perfectas habent eo-

rum ideas, à divinis ideis, non à rebus ipsis derivatas; at verò humana mens, est intelligentiarum infima, nec statim habet aut acquirit suam perfectionem; sed paulatim procedendo à potentiâ ad actum, seu à statu imperfecto ad statum perfectum, ut omnes experimur. Quod & accidit rebus corporeis imperfectis, quæ quidem primò parvæ nascuntur & imperfectæ, ut videmus in plantis & animalibus; tum crescunt donec ad debitam perfectionem perveniant: ita mens nostra primò percipit rei naturalis quiditatem seu essentiam, tum ea quæ essentiam consequuntur accidentia propria; deinde accidentia communia, quæ materiam sequuntur, post-modum habitudines quas habet ad alias res. Et quidem semper componendo ac dividendo, aut ratiocinando, rem unam seu unam propositionem ex aliâ colligendo, donec

ad perfectam rei perveniat scientiam.

II. Quandonam compositio & divisio sunt veræ, & quomodo id scitur.

D. Quandonam compositio & divisio sunt veræ?

M. Quoties sunt rebus ipsis conformes, seu quoties mens ea conjungit, quæ conjuncta sunt, aut seperat ea quæ seperata sunt seu secreta & distincta.

D. Quomodo sciam aut intelligam ego quandonam sunt conjuncta vel seperata?

M. Partes propositionis seu compositionis & divisionis omnis duæ sunt; attributum seu prædicatum, quod sequitur verbum, est, & subjectum quod præcedit idem verbum: jam verò vel prædicatum potest convenire subjecto, vel non potest; si possit convenire, vocatur propositio possibilis, si non possit vocatur impossibilis.

D. Quâ tandem ratione sciam vel posse, vel non posse convenire?

M. Scies posse convenire, quoties nulla est oppositio seu repugnantia, inter attributum & subjectum; non posse, quoties est aliqua talis oppositio.

D. Quomodo sciam an sit vel non sit aliqua repugnantia?

M. Scies ex definitione subjecti & attributi, de quâ suo loco dicemus; *v. c.* circulus aureus est possibilis, quia nulla est repugnantia inter circulum & aurum. Sed id pleniùs ex definitione percipies.

D. Sed licet intelligam rem esse possibilem, non ideò scio rem esse; quomodo hoc sciam?

M. Scies si attributum habeat necessariam cum subjecto conjunctionem, tum enim semper est cum tali subjecto conjunctum.

D. Quâ ratione percipiam attributum habere talem cum subjecto connexionem?

M. Scies, si attributum includa-

tur in definitione ſubjecti, aut ſubjectum in ratione attributi, ita ut alterutrum ſine altero non poſſit concipi ſeu definiri, *v. c.* ſcio circulum eſſe ſemper figuram; quia figura includitur in definitione circuli. Scio circulum eſſe rotundum, quia rotundum includit in ſuâ ratione circulum.

D. At ſi nec attributum includatur in ratione ſubjecti, nec ſubjectum in ratione attributi, quomodo ſciam tum propoſitionis veritatem? *v. c.* quomodo ſciam circulum eſſe aureum, cum nec circulus includat in ſuâ ratione aurum; neque aurum in ſuâ ratione circulum?

M. Id quidem per viſum ſeu ſenſum aliquem poteris fortaſsè cognoſcere, per mentem verò ſeu intellectum non poteris.

D. Quare per ſenſum & non per mentem?

M. Quia objecta ſenſuum neceſſariò agunt; omnia quæ eis communicant, quæ ſuſcipere poſſunt, & ita viſus omnia ſimul videt viſibilia quæ cum circulo ſunt conjuncta, circulum ſcilicet aureum, ejus magnitudinem, motum ſi ſit in motu, ſeu quietem; ut omnes norunt.

III. Diſcrimen ſenſum inter & intellectum.

At verò mens nihil videt niſi per ſuas ideas, quæque in eis continentur, & eas neceſſariò conſequuntur. *v c.* ex ideâ hominis colligit quòd ſit capax virtutis, quia capax virtutis neceſſariò ſequitur rationem, quæ eſt in hominis ideâ. Et hæ propoſitiones vocantur neceſſariæ, quia attributum earum habet neceſſariam cum ſubjecto connexionem. Quæ verò non habent talem connexionem, vocantur contingentes, & earum nulla eſt, aut eſſe poteſt ſcientia ſeu certa & evidens per mentem cognitio.

D. Quare cum ideâ ſubjecti non

communicantur omnia, quæ ſunt in ſubjecto intelligibilia, ut omnia quæ ſunt viſibilia in ſubjecto circuli, ſimul cum circuli ſpecie communicantur?

M. Quia idea ſubjecti non communicatur menti à ſubjecto, ſed ab ipſo per mentem abſtrahitur, eo modo quo univerſale à ſingulari per mentem ſeparatur, ut jam diximus, & ita nihil videt niſi per hanc ideam in ſe receptam, ac primò quidem videt ea quæ in hac ideâ continentur, genus ſcilicet & differentiam ſeu totam ſpeciem, tum ea quæ illam ideam neceſſariò conſequuntur; reliqua verò quæ non ſunt in ideâ ſubjecti non videt, quia ea non habent neceſſariam cum ideâ ſubjecti connexionem. *v. c.* mens obſervando, Petrum, Paulum, Jacobum, alioſque homines, vivere, ſentire, ratiocinari, colligit hominem univerſè vivere, ſentire ac ratiocinari.

Eaque habere non tantùm omnia quæ neceſſaria ſunt ad vitam, ſenſum & rationem, ſed & ea quæ hæc neceſſariò conſequuntur, quæ verò neque in hominis ratione continentur, aut quæ homini universè ſumpto non competunt, neque eum neceſſariò conſequuntur, non percipit mens.

D. Quare fit ut ea quæ in homine ſunt omnia non habeant neceſſariam cum homine connexionem? I v. Quare omnia ſenſibilium attributa non ſunt neceſſaria.

M. Quia homo ſicut & alia corpora naturalia duabus conſtant partibus, materiâ ſcilicet & formâ, ſeu eſſentiâ & ſubjecto, humanitate nimirùm, & certâ materiæ portione, quæ nullam habet cum humanitate connexionem, licet enim humanitas eſſe nequeat ſine aliquâ materiæ portione, poteſt tamen eſſe ſine hac vel illâ materiæ portione: unde cum eâ nullam habet neceſſariam connexionem, neque cum ejus acci-

dentibus, quare ſine iis poteſt eſſe, at verò ſine propriis ſuis accidentibus eſſe nequit humanitas, quia ea neceſſariò ipſam ſequuntur. Sic *v. c.* in circulo aureo duæ ſunt partes; circulus & aurum, quarum ille rationem habet formæ, nullamque habet neceſſariam cum auro connexionem, licet enim eſſe nequeat circulus ſine ſubjecto, eſſe tamen poteſt ſine auro. Unde circulus in quâcumque materiâ fuerit, ſua ſemper habebit accidentia propria, ſemper erit rotundus, non tamen habebit ſemper accidentia auri.

D. Quare tamen fit ut accidentia auri tribuantur circulo, ita ut verè dicatur circulus eſt fulvus, & quidem in ſenſu identico, quemadmodum dicitur homo eſt albus?

M. Neque circulus abſolutè & universè dicitur fulvus, neque homo universè dicitur albus, ſed hic circulus aut certus in individuo circulus,

dicitur fulvus, aut certus in individuo homo dicitur albus, non ratione circuli neque ratione hominis, sed ratione subjecti in quo est circulus, aut cum quo est conjuncta humanitas. Et sensus fit identicus, quia sensus propositionis est, quòd idem subjectum quod habet circulum habet fulvedinem, & idem subjectum quod habet humanitatem habet & albedinem; seu quod idem est utriusque formæ subjectum, scilicet albedinis & humanitatis.

Ex his colliges veritatem exprimi per affirmationem aut negationem, cognosci verò in affirmatione per terminorum connexionem, in negatione verò per eorumdem terminorum oppositionem.

Termini autem, seu subjectum & attributum propositionis vel per se & immediatè sine ullo medio connectuntur, vel opponuntur, ita ut intellectis terminis sine ullo alio,

eorum connexio seu oppositio percipiatur; & talium propositionum cognitio vocatur intelligentia, quæ circà principia seu propositiones immediatas versatur: vel ea connexio aut oppositio per aliquod medium necessarium fit & percipitur: & tum est sapientia seu scientia: sapientia quidem, si termini sint ita universales, ut ad omnia aut multa prima genera pertineant; si verò termini ad unum aliquod primum genus certum sint determinati, tum ad scientiam pertinent, de quibus sigillatim dicemus.

D. Nullæ-ne sunt aliæ virtutes mentis præter has tres?

M. Sunt quidem, prudentia & ars; sed eæ non præcisè referuntur ad veritatem de quâ nunc agimus; prudentia enim refertur ad actionem honestam, quam dirigit; & ars ad opus aliquod externum quod efficit: ut architectura ad domum. Cum

autem

autem consilium nostrum nunc sit tantùm de cognitione veritatis dicere, de solis tribus prioribus agemus, ac primò quidem de intelligentiâ.

CAPUT VI.

De Intelligentiâ.

I. Quid est intelligentia. II. Universalissima principia. III. Universalia. IV. Specialia. V. Primum simpliciter principium.

D. QUid est intelligentia? I. Quid est intelligentia?

M. Est virtus mentis quæ circà prima principia versatur.

D. Quid vocas virtutem mentis?

M. Voco habitum qui semper tendit, aut inclinat ad veritatem.

D. Quid vocas prima principia?

M. Voco propositiones immediatas, quæ statim perspectis terminis

intelliguntur, ſine ullâ aliâ ratione ſeu medio.

D. Quot ſunt eorum principiorum aut propoſitionum genera.

II. Univerſaliſſima principia.

M. Tria ſunt. Quædam ſunt univerſaliſſima, quæ ſcilicet conſtant ex univerſaliſſimis terminis, qui ad omnia genera pertinent, eaque univerſalitate ſuâ ſuperant, quales ſunt termini, *ens*, *unum*, *verum*, *bonum*, &c. quorum cognitio ex metaphyſicâ eſt repetenda & ad eam referendæ ſunt propoſitiones ex iis conſtantes. Talis eſt hæc propoſitio,

Impoßibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.

III. Univerſalia principia.

Secundi ordinis ſunt eæ propoſitiones, quæ univerſales dici poſſunt, non ita tamen univerſales ac primæ, quæ non ad omnia quidem, ſed ad plura pertinent genera, eaque prima. Talis eſt hæc propoſitio,

Totum eſt majus ſuâ parte.

Quæ quidem ad omnia pertinet ge-

nera in quibus est ratio totius ac partis; cujus modi sunt numerus, magnitudo ac corpus naturale. In his enim generibus reperire licet rationem partis & totius; & hæ quoque propositiones ad metaphysicam spectant considerationem; quia sola plura primaque respicit genera; cùm cæteræ disciplinæ seu scientiæ versentur singulæ circà unum tantum genus: *v. c.* Arithmetica circà numerum, Geometria circà magnitudinem finitam seu figuras; Physica verò circà corpus naturale.

IV. *Specialia principia.*

Tertiæ denique classis sunt ea, quæ specialia dici possunt, quæ quidem sunt immediatæ propositiones: sed ad unum tantùm genus pertinentes, & eæ sunt revocandæ ad eam scientiam; quæ de illo genere agit, in quâ earum propositionum seu terminorum ex quibus constant, ratio est investiganda. Talis est hæc propositio,

Omnis numerus est unitatum multitudo.

V. Quæ pertinet ad Arithmeticam.

Primũ simpliciter principium.

D. Quodnam est primum simpliciter principium?

M. *Impossibile est idem simul esse & non esse.* Quia habet omnes conditiones quæ desiderantur ad primum principium.

D. Quænam sunt illæ conditiones?

M. 1°. Ut sit universalissimum. 2°. Ut sit notissimum. 3°. Ut sit indemonstrabile. 4°. Ut sit demonstrativum cæterorum.

D. Quomodo est universalissimum?

M. Quia constat ex universalissimis terminis: nulli enim termini sunt universaliores *esse* & *non esse*.

D. Quomodo notissimum?

M. Quia constat ex terminis notissimis; nihil quippe notius esse potest quàm *esse* vel; *non esse* solent

enim termini, quò sunt universaliores, eò esse notiores.

D. Quomodo est indemonstrabile?

M. Quia nullum medium est inter *esse* & *non esse*. Omnis autem demonstratio fit per aliquod medium.

D. Quâ ratione est demonstrativum cæterarum propositionum seu rationum?

M. Quia est basis & fundamentum totius humanæ rationis. Ideò enim concessis præmissis concedenda est conclusio, quia secùs idem esset & non esset, *v. c.* si concedas omne animal esse vivens, & hominem omnem esse animal, concedas quoque necesse est, omnem hominem esse vivens. Secùs, foret vivens cum sit animal, & non foret secundùm te, cum id neges, quod est impossibile.

CAPUT VII.

De hoc principio,

Quidquid clarè distinctéque seu evidenter percipitur,

Est verum seu certum.

I. *Non est primum principium.* II. *Nullo modo est principium.* III. *Est tamen verum.*

D. QUid censes de illo vulgato nunc in scholis nostris principio primo; *quidquid clarè distinctéque, seu evidenter percipitur, est verum aut certum.*

I. Non est primum principium.

M. Non est primum principium. Et ut clariùs pateat, ad hanc æquivalentem propositionem reducatur. Quoniam veritas non est nisi in propositione, ut demonstratum est. Omnis evidens propositio est vera vel certa. Primò moneo à multis,

hos terminos, *verum* & *certum*, confundi, quæ tamen non sunt confundenda, quia multa sunt vera ut pleraque contingentia, quæ tamen non sunt certa; si certum spectetur propriè, ut in scientiis spectari solet & debet, significat ea quæ non aliter se habere possunt. Et ita solis rebus aut propositionibus necessariis convenit: sic quando dicimus scientiam esse cognitionem certam, intelligimus eam esse invariabilem seu minimè mutari posse. Ut pleniùs dicemus agendo de scientiâ. Unde quæ sunt certa, sunt quidem vera, sed non vice versâ quæ sunt vera sunt semper certa, latiùs ergo patet verum quàm certum accuratè loquendo, maléque confunduntur.

Idem dico de his terminis *evidens* & *certum*. Multa quippe sunt certa quæ non sunt evidentia, ut patebit ex inferiùs mox dicendis.

D. Quæso nobis oſtende quod non ſit primum principium?

M. Exiſtimo id ex ſolis dictis clarè ſatis patere iis, qui ſciunt quid ſit primum principium?

Illud debet eſſe univerſaliſſimum, ſeu univerſaliſſima propoſitio; univerſaliſſima porrò propoſitio conſtare debet ex univerſaliſſimis terminis. Termini autem hujus propoſitionis non ſunt univerſaliſſimi, & ad omne genus entis pertinentes, ſed ad unum genus cognitionis aut propoſitionis, cujus ſunt attributa, ſpectantes. Evidentia enim, certitudo, & veritas ipſa ut hìc ſpectatur, ſunt attributa cognitionis ſeu propoſitionis, ergo ad hoc & non aliud genus referri debent.

Sed neque notiſſima cenſeri poteſt hæc propoſitio, quia non conſtat ex terminis notiſſimis ſeu omnibus notis: pauci enim ſciunt quid ſit *certum*, & longè pauciores quid ſit

evidens respectu mentis : multa quippe sunt certa & evidentia respectu sensuum, quæ non sunt talia respectu mentis, cùm enim oculis video circulum aureum, id mihi certum & evidens est respectu visûs, sed non respectu mentis ; sed hæc sæpè confunduntur. Quid autem sit certum & evidens respectu mentis inferiùs dicemus : deinde primum principium esse debet indemonstrabile & demonstrativum cæterorum ; hæc autem propositio demonstrari potest, ut mox ostendemus, & nihil omninò demonstrat. Quare nullo modo censeri potest primum principium.

III. Nullo modo dici potest principium.

Verùm enim-verò hæc propositio, *quidquid evidenter percipitur est verum seu certum*, nequidem principium ullo modo dici potest. Omne siquidem principium est propositio prima & immediata, hæc autem propositio neque prima neque immediata censeri potest.

Non eſt prima, quia termini ejus non reciprocè convertuntur, *evidens* enim non reciprocè convertitur cum *vero* vel *certo*, multa quippe ſunt vera & certa, quæ non ſunt evidentia, non modò in fide, ſed & in ſcientiis quoque naturalibus. Certum eſt eſſe Deum; id tamen omnibus etiam id certò credentibus non eſt evidens. Certum eſt hominis mentem eſſe immortalem multis etiam Philoſophis, non tamen eſt evidens multis. Certum eſt omnem triangulum rectilineum habere tres angulos duobus rectis æquales, id tamen non eſt evidens. Omnes demùm concluſiones alicujus ſcientiæ certæ ſunt, non tamen ſunt evidentes antequam demonſtrentur, ideò enim demonſtrantur ut evidentes appareant; principia tamen earum eſſe debent evidentia ſeu per ſe nota quoad nos, ſecùs enim non poſſent eas demonſtrare.

Nec sufficit ut principium omne sit propositio prima, sed debet esse immediata, multæ enim conclusiones sæpè sunt propositiones primæ; quia earum attributa primò & per se conveniunt earum subjectis ac reciprocè cum iis convertuntur. *v. c. homo est capax virtutis moralis*, est prima propositio, quia capax virtutis moralis primò & per se convenit homini, ac cum eo reciprocè convertitur, omnis enim homo est capax virtutis moralis, & omne capax virtutis moralis, est homo; quia solius est hominis passiones suas moderari. Imò verò omnis conclusio perfectæ & accuratæ demonstrationis debet esse prima, secùs non foret perfecta demonstratio, ut patebit ex dicendis de demonstratione.

Sed hæc propositio, *quidquid evidenter percipitur est verum vel certum*, non est immediata, quia certa potest afferri ratio, cur evidens pro-

positio sit certa, proindeque hæc propositio demonstrari potest.

Certum enim id omne dicitur, quod variari seu mutari minimè potest, omne porrò quod necessarium est, nec variari nec mutari potest; unde necessarium omne certum est. Igitur omnis propositio necessaria est certa.

Sed omnis evidens propositio est necessaria: necessaria enim propositio est ea, cujus attributum per se convenit subjecto, ita ut in ejus ratione includatur, aut subjectum in suâ ratione includat. Sed evidentis omnis propositionis attributum vel includitur in subjecti ratione, vel illud in suâ includit. Igitur omnis evidens propositio est necessaria ac proinde certa, ut ex dictis cap. 5°. pleniùs patet.

Hi tres termini, *verum*, *certum*; *evidens*, se habent ut *vivens*, *animal*, *homo*; omnis homo est animal,

mal, & animal omne vivens, sed non vice versâ, omne vivens est animal, neque omne animal est homo. Omnis igitur evidens propositio est necessaria, omnis necessaria seu certa est vera; sed non vice versâ, omnis vera est necessaria, neque omnis necessaria, evidens. Evidens enim propositio addit aliquid necessariæ, quòd scilicet sit nota per se quoad nos, cùm necessaria sit tantùm nota quoad se. *v. c. Deus est*, est necessaria propositio, nota quoad se, quia attributum scilicet *esse* convenit ejus subjecto scilicet *Deo* per se, quia ad ejus essentiam pertinet, unde nota est quoad se, sed non quoad nos; quia nos non novimus quid sit Deus.

At verò hæc propositio, *circulus est figura*, est nota non tantùm quoad se, sed quoad nos; quia novimus quid sit circulus & quid figura. Igitur ut propositio sit evidens, debet esse nota non tantùm quoad se, sed

etiam quoad nos, quod fieri nequit nisi sciamus quiditatem seu rationem & definitionem tum subjecti tum attributi, sed præsertim subjecti, à cujus notione plerumque dependet notio attributi. Ita *v. c.* hæc propositio, *anima humana est immortalis*, si modò sumatur pro mente, ut sumi solet ab omnibus ferè Christianis, est necessaria seu nota quoad se, quia immortalitas habet necessariam connexionem cum mente, sed non est nota quoad nos, quia pauci aut ferè nulli sciunt quid sit anima aut quid sit mens.

III. Est vera. Itaque hæc propositio, *quidquid evidenter percipitur est verum aut certum*, est vera quidem, sed non modò non est primum principium, sed ne quidem ullo modo principium censeri potest. Quotquot igitur eam propositionem, tanquam primum principium agnoverunt, Logicæ satis rudes sunt & ignari,

Quod minimè miror; pauciſſimos enim reperies verè Logicæ gnaros, quam tamen plerique ad alias ſcientias acquirendas neceſſariam eſſe volunt non immeritò. Hinc pauciſſimi verè ſcientes occurrunt, quia longè pauciſſimi Logicam callent, quam verè vocaveris ſcientiam ſcientiarum, aut veram ſciendi artem.

CAPUT VIII.

De Sapientiâ.

I. Quid eſt ſapientia? II. Quid ens reale, quid ens rationis? III. Diviſio entis realis. IV. Diviſio ſubſtantiæ. V. Diviſio accidentis. VI. De abſtractione formæ à materiâ.

DQUod diſcrimen ſtatuis inter ſapientiam propriè dictam, & ſcientiam? I. Quid eſt ſapientia.

M. Sapientia propriè dicta virtus quædam mentis eſt, quæ verſatur

circà res universaliſſimas & altiſſimas abſtractas ab omni materiâ: ſcientia verò verſatur circà res inferioris ordinis, & unius tantùm generis.

D. Quid vocas res unius generis?

M. Voco eas quæ ex iiſdem primis principiis conſtant, aut iis continentur. Sic omnes numeri ſunt unius generis, quia conſtant ex unitate primiſque numeris, dualitate ſcilicet ac trinitate. Sic omnes figuræ ſunt unius generis, quia puncto, lineâ, & ſuperficie continentur. Sic omnia corpora naturalia ſunt unius generis; quia materiâ conſtant & formâ.

D. Quid vocas res univerſaliſſimas?

M. Sunt eæ quæ ad omnia genera aut ſaltem ad plura pertinent, quæ enim ſunt unius tantùm generis, eæ ad unam aliquam ſpecialem ſcientiam pertinent.

D. Quid vocas res altiſſimas?

M. Voco eas quæ mentem humanam ſuperant & abſtractæ ſunt ab omni materiâ, quarum aliquam, licet imperfectam, cognitionem habet mens humana, quales ſunt Deus & Angeli.

D. Quænam ſunt res univerſaliſſimæ?

M. Sunt ens reale universè ſumptum, ejus affectiones ſeu proprietates, unitas, veritas, bonitas, &c. ejus principia & cauſæ, ſi quæ ſint, ac ejus ſpecies ſeu quaſi ſpecies.

D. Quid vocas ens reale?

M. Ens reale dicitur, quod in rerum univerſitate & extrà mentem exiſtit, qualis eſt Deus, (ſi tamen dici debet ens, quia eſt ſuper omne ens, cum ſit ipſum eſſe) quales ſunt Angeli, quales ſunt res omnes naturales, & opponitur enti rationis. II. Quid ens reale, quid ens rationis?

D. Quid vocas ens rationis?

M. Quod habet eſſe tantùm in

mente ſeu ratione. Non tamen eſt chimæra, ut multi ſibi fingunt, ſed accidentia quædam logica, quæ res conſequuntur, quatenùs à mente ſunt apprehenſæ, & à nonnullis ſecundæ intentiones logicæ vocantur, quia reflexionem mentis circà res à ſe conceptas ſequuntur. Et ordo rationis non ratiò vocantur. Sic quando mens aſſerit hominem eſſe animal, reflectendo obſervat *hominem* eſſe *ſpeciem*, *animal* eſſe *genus*, *hominem* eſſe *ſubjectum*, *animal* eſſe *prædicatum*. τὸ ſpecies, τὸ genus, τὸ ſubjectum, τὸ prædicatum ſunt entia rationis. Seu ſecundæ intentiones logicæ, quæ exprimunt ordinem quem res habent ad ſe invicem in mente. Et hæc propriè à Logicâ conſiderantur, ejus proprium objectum à nonnullis non ſine ratione dicuntur : non enim conſiderat operationes mentis per ſe, ſeu quatenùs ab animâ procedunt, ſic

enim ſpectatæ ad ſcientiam de anima pertinent. Sed conſiderat eas ſeu potiùs res ab iis & in iis perceptas, quatenùs his intentionibus, aut huic ordini logico ſunt ſubjectæ.

D. Quomodo dividis ens reale? III. Diviſio entis realis.

M. In ſubſtantiam quæ per ſe ſubſiſtit, & accidens quod ſubſiſtit per ſubſtantiam.

D. Quid vocas per ſe ſubſiſtere?

M. Subſiſtere per ſe dicitur quod ſubſiſtit independenter ab alio tanquam à ſubjecto. Sic paries ſubſiſtit per ſe, albedo verò per parietem.

D. Quotuplex ex ſubſtantia?

M. Subſtantia non uno modo dicitur in rebus præſertim naturalibus. Alio enim modo materia; alio forma, alio totum ſubſtantia dicitur; materia quia ſubjectum eſt ex quo res fiunt; forma quia eſt ipſa rerum eſſentia; totum verò maximè priè in rebus naturalibus ſubſtantia dicitur, quaſi res per ſe ſubſiſtens,

materia enim non ſubſiſtit per ſe, neque forma naturalis, ſolam præter hominis mentem, ut in phyſicis dicetur.

In rebus verò ab omni materiâ ſeu ſubjecto ſeparatis, ſubſtantia eſt ipſa rei eſſentia per ſe ſubſiſtens, unde cum in his nullum ſit ſubjectum, idem eſt nomen concretum & abſtractum, idem Deus & divinitas, Angelus & angelitas; at verò in rebus phyſicis non eſt idem nomen concretum & abſtractum, Homo *v. c.* & humanitas.

D. Quare in rebus ab omni materiâ ſeparatis idem ſignificat abſtractum & concretum, idem eſt divinitas & Deus. Non verò in rebus phyſicis idem eſt homo & humanitas?

M. Quia res illæ abſtractæ ab omni materiâ ſeu ſubjecto, ſunt formæ per ſe ſubſiſtentes; ac proinde per ſe ſubſtantiæ ſunt. At verò eſſen-

tiæ physicæ qualis est humanitas, non per se subsistunt separatæ ab omni subjecto; sed semper cum aliquo subjecto conjunctæ sunt, non quasi subsistant per illud subjectum, sed quòd potiùs subsistat per illas. De his pleniùs alibi.

D Quomodo dividitur substantia propriè dicta, & per se subsistens universè sumpta?

M. Dividitur in substantiam seu essentiam puram, quæ nullum includit subjectum, & substantiam impuram, quæ aliquàm includit materiam seu subjectum, de quâ divisione plura dicemus alibi. Hìc tantùm observabimus puram ad sapientiæ seu Metaphysicæ considerationem pertinere, impuram ad Physicam. 1 v. Divisio substantiæ.

D. Quotuplex est illa pura essentia?

M. Ea duplex est, alia purissima, quæ est ipsum esse per se subsistens,

ab omni compositione prorsùs immune, & unus est solusque Deus; alia verò pura, quæ quidem nullam includit materiam, sed est essentia per se subsistens, participata tamen à primâ, seu particeps facta esse à primâ; unde in eâ distinguitur essentia ab esse, tales sunt omnes mentes quas spiritus vocamus; quarum consideratio pertinet ad Metaphysicam, unam præter hominis mentem, quæ considerationis est physicæ, quia dicit ordinem ad materiam seu corpus cum quo constituit hominem, qui species quædam est corporis naturalis.

D. Quid est accidens?

V. De accidente, & ejus divisione.

M. Est ens inhærens seu dependens ab alio tanquam à subjecto per quod existat, ut albedo respectu parietis, Grammatica respectu mentis.

D. Quotuplex est?

M. Ejus genera vulgò novem recensentur; sed quæ pleraque magis

ad res corporeas quàm spiritales aut abstractas ab omni materiâ pertinent, & habitâ corporum ratione ad certa genera revocata sunt, licet quædam eorum ad res spiritales pertineant.

D. Quænam sunt?

M. Quantitas, qualitas, relata, actio, passio, ubi, quando, situs & habere. De solis abstractis à materiâ, aut iis quæ rebus à materiâ prorsùs abstractis aliquo modo conveniunt differit Metaphysica; cætera Physicæ & aliis etiam disciplinis considerandæ mittit.

VI. De abstractione à materiâ.

D. Quid vocas essentias seu formas abstractas à materiâ?

M. Sunt eæ quæ aut nullam omninò, aut saltem aliquam materiam non includunt in suâ definitione seu conceptu.

D. Quotuplex est ea abstractio?

M. Ea triplex est. Prima est à materiâ singulari & non sensibili.

Secunda est à materiâ singulari & sensibili, non tamen intelligibili. Tertia est ab omni materiâ singulari, sensibili & intelligibili.

D. Quænam sunt formæ abstractæ à materiâ tantùm singulari & non sensibili?

M. Sunt formæ seu essentiæ physicæ, quales sunt humanitas, equinitas & similes, quæ in suâ definitione seu conceptu non includunt hanc aut illam singularem materiam. *v. c.* humanitas non includit in suo conceptu has & illas carnes, idem dicas de equinitate.

D Quare dicis eas non abstrahere à materiâ sensibili?

M. Quia sensibilem aliquam in suâ definitione includunt materiam, eam scilicet quæ necessaria sit ad earum functiones, sic humanitas includit in suâ ratione ossa, carnes, nervos, &c. quia sine his ejus functiones fieri nequeunt, à quibus to-

tam

tam ſuam deſumit rationem. Non tamen includit hæc aut illa oſſa determinata ſeu ſingularia, quia ſine iis poſſunt ejus functiones fieri, licet non ſine oſſibus.

D. Quænam ſunt formæ abſtractæ à materiâ ſingulari ſimul & ſenſibili, non tamen intelligibili?

M. Sunt Mathematicæ formæ puræ, numerus ſcilicet, & figuræ quæ concipi poſſunt non modò ſine ſingulari, verùm etiam ſine ſenſibili materiâ. *v. c.* trinitas & quaternitas plenè perfectéque concipi poſſunt & definiri ſine omni non modò ſingulari, verùm etiam ſenſibili materiâ. *v. c.* ſine calore, ſine colore & aliis affectionibus ſenſibilibus quas non includunt in ſuâ ratione, quod idem dicas de triangulo ſeu quadrangulo.

D. Quare non abſtrahunt à materiâ intelligibili?

M. Quia ſemper dicunt ordinem ad aliquod ſubjectum. Omnis enim

numerus materialis dicit ordinem ad res numeratas, quæ fiunt per divisionem continui, ex quâ oritur numerus. Simili modo figuræ omnes sunt extremitates alicujus magnitudinis, ad quam ordinem dicunt.

D. Quæ tandem sunt formæ abstractæ ab omni planè materiâ?

M. Sunt omnes formæ Metaphysicæ puræ seu essentiæ per se subsistentes, quæ nullam non modò materiam in suâ ratione includunt, sed ne quidem ullum ordinem per se dicunt ad materiam, quales sunt divina & angelicæ mentes; non verò humana mens: quia licet nullam includat in suâ ratione materiam, ac possit per se sine ullâ materiâ, seu subjecto subsistere, dicit tamen ordinem ad materiam, ad suum scilicet corpus, & ad objecta sua, quæ sunt rerum materialium essentiæ, quatenùs tamen à materiâ separatæ, ut superiùs exposuimus.

CAPUT IX.

De Scientiâ.

I. Quid est habitus scientiæ? II. Quid actus. III. Quid certitudo scientiæ? IV. Quid evidentia scientiæ.

D. QUid est scientiæ habitus? I. Quid est habitus scientiæ.

M. Est virtus mentis, quæ circà res unius certi alicujus generis versatur, per principia propriasque causas cognoscendas, quæque ad ultimas species illius generis sese extendit.

D. Quare dicitur circà res unius certi alicujus generis?

M. Ut à sapientiâ seu Metaphysicâ, quæ prima philosophia & scientia generalis nonnunquam vocatur, distinguatur; omnis enim scientia propriè dicta considerat res unius tantùm generis, ut superiùs diximus.

D. Quare dicitur per principia

cauſaſque proprias?

M. Ut tùm ab intelligentiâ, tùm à ſapientiâ diſtinguatur; ab intelligentiâ quidem, quæ non diſcurrit; neque principia rei propria, neque cauſas proprias conſiderat. A ſapientiâ verò quæ cauſas generales intuetur, non autem proprias.

D. Quare dicis, quæ ad ultimas ſpecies illius generis ſeſe extendit?

M. Quia ſcientia plena & perfecta debet conſiderare omnes infimas etiam ſpecies ſui generis.

D. Quare non individua?

M. Quia de individuis ſenſibilibus nulla eſt ſcientia, ut jam diximus, quia nullam habent in mente ideam diſtinctam ab ideâ ſpeciei, non alia eſt in mente idea Petri ſeu Pauli quam hominis, neque quidquam aliud in Petro ſeu Paulo eſt præter humanitatem & certam materiæ ſingularis portionem, quæ eſt principium individuationis, à quo mens

abſtrahit, quæ rei ſenſilis eſſentiam universè ſumptam conſiderat, eam abſtrahendo à materiâ ſingulari, ut jam oſtendimus.

D. Quomodo ſcientiæ habitus cognoſcitur?

M. Omnis habitus omniſque potentia cognoſcitur per ſuum actum, & actus omnis per ſuum objectum. II. De ſcientiæ actu.

D. Quare?

M. Quia omnis habitus omniſque potentia perficitur per ſuum actum, omniſque actus per ſuum objectum; ſic viſus à viſione perficitur, & ipſa viſio ab objecto, quod ei dat ſpeciem & formam, viſus enim refertur & ordinatur ad viſionem, & viſio ad objectum.

D. Quid eſt ſcientiæ actus?

M. Eſt cognitio certa & evidens rei neceſſariæ per proprias cauſas, quæ demonſtratione comparatur.

D. Quid eſt cognitio talis?

M. Eſt viva & vera rei repræſentatio in mente.

D. Quare dicis in mente?

M. Quia viva rei repræſentatio poteſt etiam fieri in ſenſibus tum externis tum internis; ſed ea ſemper eſt rei ſingularis & ſenſilis. At verò ea quæ fit in mente, eſt rei univerſalis; eaque ſola ſcientiæ nomen meretur.

III. De certitudine ſciẽtiæ.

D. Quare dicitur certa?

M. Quia verè ſciens debet eſſe imperturbabilis in ſuâ ſcientiâ. Non eſſet autem, niſi cognitio ejus eſſet certa.

D. Quid eſt illa certitudo?

M. Eſt firmitas, ſtabilitas, & imperturbabilitas quædam.

D. Quotuplex eſt?

M. Triplex eſt, certitudo ſubjecti, certitudo objecti, & certitudo motivi.

D. Quid eſt certitudo ſubjecti?

M. Eſt firma mentis adhæſio rei cognitæ, non ex pertinaciâ ſed ex objecti certitudine profecta, quando

mens certè & evidenter rem cognoscit invariabilem & necessariam.

D. Quid est certitudo objecti?

M. Est necessitas & immutabilitas ejus, seu certa & necessaria connexio effectûs cum suâ causâ seu attributi cum suo subjecto, ut ab eo divelli minimè possit, & hæc certitudo in scientiâ oritur ex certitudine motivi.

D. Quid est certitudo motivi?

M. Est ratio & causa cur effectus cum suâ causâ, aut attributum cum suo subjecto necessariam habet connexionem.

D. Da nobis triplicis hujus certitudinis exempla, ut faciliùs & meliùs eas percipiamus & distinguamus?

M. Mens mea firmissimè tenet hominem esse capacem virtutis, adest certitudo subjecti, si quæras unde proficiscitur illa mentis firmitas? Respondeo, quia mihi certò

conſtat eſſe neceſſariam connexionem inter hominem & capacem virtutis, adeſt objecti certitudo. Si verò quæras motivum hujus certitudinis ſeu neceſſariæ connexionis attributi cum ſubjecto, cauſam dicam: quia homo eſt capax rationis. Quidquid enim eſt capax rationis eſt capax virtutis moralis, quæ eſt habitus inclinans hominem ad agendum ſecundùm rectam rationem.

D. Nulla ne alia eſt certitudo præter has tres?

M. Eſt alia triplex certitudo in ſcholis ſatis celebrata, ſcilicet Moralis, Phyſica & Metaphyſica.

D. Quænam eſt Moralis illa certitudo?

M. Eſt ea, quæ ſæpiùs aut ut plurimum eſſe ſolet. Hoc modo dicimus certum eſſe matres omnes ſuos filios amare. Licet enim id ſemper non accidat, eſt tamen ſæpiuſque certum.

D. Quid est Physica certitudo?

M. Est ea quâ secundùm naturæ ordinem res certæ sunt. Sic dicimus esse certum Solem cras oriturum; quia posito naturæ ordine Sol cras orietur. Hunc tamen Deus vel impedire vel immutare potest. Sic jubente Josue Sol stetit. Sic, volente Ezechia, idem Sol retrocessit.

D. Quid est Metaphysica certitudo?

M. Est ea, quâ res ita certæ sunt, ut ne divinitùs quidem variari aut immutari possint. Qualis est certitudo circulum esse rotundum; qualis est certitudo connexionis essentiæ omnis cum suis attributis propriis seu proprietatibus secundùm radicem aut aptitudinem spectatis: talis est connexio hominis cum capacitate virtutis, ita ut esse nequeat homo sine tali capacitate secundùm aptitudinem spectatâ, ne quidem divinitùs: licet ejus actus possit impediri. Sic ignis aptus est ad comburendum, li-

cet ejus actus possit impediri, ut accidit in fornace Babylonicâ. Hæc autem certitudo in omni scientiâ perfectâ desideratur.

IV. De evidentiâ scientiæ.

D. Quid est cognitio evidens hìc spectata?

M. Est evidens connexio aut separatio terminorum alicujus propositionis, aut evidens connexio conclusionis cùm præmissis.

D. Quænam est evidens connexio aut separatio terminorum in propositione?

M. Evidens connexio terminorum seu subjecti & attributi propositionis, est quando vel attributum includitur in ratione subjecti, vel subjectum in ratione attributi, ita ut nobis notum sit quid sit subjectum & quid attributum. *v. c.* Hæc propositio, *homo est animal*, evidens est, quia animal includitur in ratione hominis, & nos scimus quid sit homo, & quid sit animal. Simili modo

quia novimus quid sit circulus & quid sit figura, novimus evidenter circulum esse figuram; verbo dicam est propositio nota per se quoad nos.

Evidens similiter est separatio inter terminos propositionis, quando est manifesta repugnantia inter terminos nobis notos. Sic novimus evidenter hominem non esse lapidem, circulum non esse triangulum: quia de ratione hominis est quòd sit animatum corpus, de ratione lapidis, quòd sit inanime corpus, de ratione circuli est quòd unâ lineâ contineatur, quæ æqualiter undique distet à centro seu puncto medio; de ratione verò trianguli est quòd non unâ sed tribus lineis contineatur, quarum nulla semper æqualiter distet à centro.

D. An hæc propositio *Deus est* ita evidens dici possit, ut demonstratione non indigeat?

M. Est quidem nota per se, quia

eſſe includitur in ratione Dei, ſeu potius eſt ipſa ejus eſſentia; ſed non eſt nota quoad nos; quia non ſcimus quid ſit Deus. Unde non eſt evidens per ſe hæc propoſitio, ſeu nota per ſe quoad nos ante demonſtrationem.

D. Quandonam concluſio eſt evidens?

M. Quando evidenter continetur in præmiſſis, aut eas evidenter continet. *v. c.* cum dico omne animal eſt vivens & omnis homo eſt animal evidenter video hanc concluſionem. Igitur *omnis homo eſt vivens*, quia evidenter continetur in præmiſſis.

D. Quid intelligis quando dicis ſcientiam eſſe cognitionem rei neceſſariæ.

M. Per rem neceſſariam intelligo effectum neceſſarium qui habet neceſſariam connexionem cum ſuâ cauſâ eamque neceſſariò ſequitur, ſeu veritatem neceſſariam quæ ſita

eſt

est in necessariâ connexione attributi proprii cum subjecto suo, & propositio necessaria dicitur. De quâ diximus.

D. Quare dicis quæ demonstratione comparatur?

M. Quia scientia strictè sumpta verus est demonstrationis effectus, seu demonstratio parit scientiam; unde dicitur habitus demonstrativus. Quocircà nunc de demonstratione dicendum.

D. Quare dicis per propriascausas?

M. Quia non sufficit verè scienti generalem aut universalem causam afferre, sed debet assignare propriam.

CAPUT X.

De Demonstratione.

I. *Quid est Syllogismus.* II. *Quid Demonstratio.* III. *Demonstrationis exemplum?*

I. De Syllogismo. D. QUid est demonstratio?

M. Est Syllogismus perfectus.

D. Quid est Syllogismus?

M. Est perfecta ratiocinandi forma.

D. Quid vocas ratiocinandi formam?

M. Est modus seu methodus, quâ una propositio ex aliâ seu aliis colligitur.

D. Quare vocas Syllogismum perfectam ratiocinandi formam?

M. Quia perfectè ostendit connexionem, aut separationem terminorum alicujus propositionis per me-

dium terminum, & quidem perfectiùs quam aliqua alia ratiocinandi forma. Scopus enim ratiocinationis est, aut esse debet ostendere connexionem aut separationem terminorum alicujus propositionis, id autem melius fit per medium aliquem terminum, illum conjungendo vel separando cum extremis, priusquam ipsa extrema seu termini propositionis per se conjungantur, aut à se invicem separentur, quàm alio quovis modo.

D. Sunt ne aliæ ratiocinandi formæ præter Syllogismum?

M. Sunt & quidem multæ. Exemplum *v. c.* inductio, enthymema &c. Sed eæ ad præsens nostrum institutum non pertinent, qui ad perfectam in animo scientiam formandam tendimus, quâ brevitate & perspicuitate possumus.

D. Quid tandem est hæc perfecta ratiocinandi forma, quam

Syllogiſmum vocamus?

M. eſt oratio conſtans ex tribus terminis in duabus propoſitionibus quæ præmiſſæ vocantur, ita diſpoſitis, ut tertia ex iis colligatur aut inferatur propoſitio, quæ concluſio vocatur.

D Quinam ſunt illi termini?

M. Majus extremum, minus extremum & medium.

D. Quid eſt majus extremum?

M. Eſt attributum concluſionis directæ.

D. Quid eſt concluſio directa?

M. Eſt ea in quâ ſervatur naturalis ordo terminorum.

D. Quis eſt ille ordo?

M. Eſt is quò ſuperius ſeu univerſalius prædicatur de inferiori ſeu minùs univerſali, *v. c.* animal de homine, aut attributum de ſubjecto; rotundus, *v. c.* de circulo, ſic naturaliter dicitur homo eſt animal, non autem animal eſt homo. Naturali-

ter dicitur circulus est rotundus; non ita rotundus est circulus.

D. Quid est minus extremum?

M. Est subjectum conclusionis directæ, ita homo est subjectum respectu animalis, & circulus respectu rotundi.

D. Quid est medium?

M. Est is terminus qui medium tenet locum inter majus & minus extremum in Syllogismo perfecto, qualem nunc quærimus, ita ut subjiciatur majori extremo in primâ propositione seu majore, & prædicetur de minori extremo in secundâ propositione seu minore: sic animal est medium inter vivens & hominem in hoc Syllogismo,

Omne animal est vivens,
omnis homo est animal,
igitur *omnis homo est vivens.*

D. Quid præstat medium?

M. Conjungit extrema conclusionis in affirmatione; ut patet in su-

periori Syllogiſmo; eadem verò extrema ſeparat in negatione. *v. c.*

Nullus lapis eſt vivens,
omne marmor eſt lapis,
ergo *nullum marmor eſt vivens.*

D. Quid eſt demonſtratio?

II. De demonſtratione.

M. Demonſtratio eſt Syllogiſmus omninò perfectus, conſtans præmiſſis veris, neceſſariis, propriis, primis, immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis.

D. Quandonam ſunt veræ?

M. Quando ſunt conformes rebus quas enunciant, ſeu quando conjungunt ea quæ ſunt extrà mentem conjuncta, aut ſeparant ea quæ ſunt ſeparata *v. c. homo eſt animal*, eſt vera quia hæc extrema, *homo & animal* extrà mentem ſunt conjuncta: ſimiliter, *homo non eſt lapis*, eſt vera quia hæc extrema extra mentem ſunt ſeparata, ut alibi diximus.

D. Quando ſunt neceſſariæ?

M. Quando extrema neceſſariam

habent connexionem, ſeu quando extrema per ſe ſunt conjuncta, non verò per ſubjectum. *v. c.* circulus eſt rotundus per ſe, non verò per ſubjectum, at verò circulus eſt aureus ratione ſubjecti, non per ſe. Unde non ſemper eſt aureus, ſed ſemper eſt rotundus, unde propoſitiones neceſſariæ dicuntur ſempiternæ veritatis, quia ſemper veræ ſunt, aliæ non item.

D. Quandonam ſunt propriæ?

M. Quando ſunt ex eodem genere & eâdem ſcientiâ petitæ, non verò ex aliis, ſive generibus ſive ſcientiis deſumptæ, ſeu quando attributum aliquo modo propriè convenit ſubjecto, ita animal rationale ad idem genus ac eandem ſcientiam pertinet, ac capax virtutis.

D. Quando ſunt primæ?

M. Quando primò & per ſe attributum ita convenit ſubjecto, ut cum eo reciprocè converratur. Sic

homo est capax virtutis, est propositio prima, quia *capax virtutis* primò & per se convenit *homini*, & cum eò reciprocè convertitur, omnis enim homo est capax virtutis, & omne capax virtutis moralis est homo.

D. Quando sunt immediatæ?

M. Quando attributum sine ullo medio seu ratione convenit subjecto. Sic hæc propositio, *homo est particeps rationis*, est immediata; quia τὸ *particeps rationis* sine ullo medio convenit *homini*, nulla enim est ratio, cur homo sit particeps rationis, nisi quia est homo.

D. Quare priores dicuntur?

M. Quia naturâ, ordine & cognitione præcedere debent conclusionem, ut causæ effectum.

D. Quare notiores esse debent?

M. Quia per eas innotescit conclusio, ut colores per lumen.

D. Quare denique sunt causæ?

M. Quia per eas concluſio generatur.

D. Quare demonſtratio perfectus vocatur Syllogiſmus.

M. Quia perfectiùs Syllogiſmi ſcopum attingit. Syllogiſmi enim ſcopus eſt oſtendere connexionem aut ſeparationem extremorum in concluſione. Id autem perfectè facit demonſtratio.

D. Video demonſtrationem rem eſſe planè difficilem, quâ tandem ratione fieri vel inſtitui debet.

M. Omnes res perfectæ ſolent eſſe difficiles, demonſtratio autem perfectum eſt opus rationis, & veluti ſpecimen humanæ mentis, quæ viſa eſt ita difficilis Gaſſendo magni nominis Philoſopho, ut exiſtimaret eam eſſe prorsùs impoſſibilem, ſecundùm has omnes conditiones quas expoſuimus, eam tamen eſſe poſſibilem demonſtrabimus.

Præcipua porrò difficultas eſt in

inveſtigando primo ſubjecto attributi demonſtrandi ejuſque invenienda definitione, in quâ reperietur & attributi definitio, & hæc utraque definitio ſumi debet loco medii, quod ſubjici debet majori extremo, & de minori prædicari, licet ſola ſubjecti ſæpè ſufficiat definitio. Sit hæc propoſitio demonſtranda,

III. Demonſtrationis exẽplum. *Omnis homo eſt capax virtutis moralis Homo* eſt primum hujus attributi, *capax virtutis* ſubjectum, quia primò & per ſe convenit *homini*, & cum eò reciprocè convertitur. Hominis definitio eſt *animal rationis particeps*, in quâ continetur definitio capacis virtutis ſeu poſſe ſequi rectam in agendo rationem, quiſquis enim poteſt ſequi rectam in agendo rationem, is eſt capax virtutis moralis, quæ ſemper inclinat ad ſequendam rectam rationem. Sumatur utraque definitio loco medii, ſubjiciatur primo majori extremo,

deinde prædicetur de minori hoc modo.

Omne animal particeps rationis, quod poteſt ſequi rectam in agendo rationem, eſt capax virtutis moralis.

Omnis homo eſt animal particeps rationis, quod poteſt ſequi rectam in agendo rationem.

Igitur *omnis homo eſt capax virtutis moralis.*

Expende nunc ſingulas præmiſſas, & videbis eas eſſe veras, neceſſarias, proprias, primas, immediatas, priores, notiores, cauſaſque concluſionis

Sunt veræ, ut per ſe patet, quia earum attributa conveniunt earum ſubjectis : *capax* enim *virtutis* convenit *animali participi rationis*, quod poteſt ſequi rectam in agendo rationem; ſimiliter attributum minoris ſcilicet *animal rationis particeps* quod poteſt ſequi rectam in agendo rationem, ſine controverſiâ conve-

nit *homini*. Utraque igitur eſt vera.

Utraque quoque eſt neceſſaria, quia attributum utriuſque propoſitionis per ſe convenit earum ſubjectis. Primo enim *capax virtutis* convenit *homini* & non ratione alterius ſeu ſubjecti, quia neceſſariò ſequitur hominem. Sed & attributum minoris ſcilicet *animal particeps rationis* per ſe convenit *homini*, ut per ſe patet; ergo utraque propoſitio eſt neceſſaria.

Utraque quoque eſt propria; quia *animal capax rationis & capax virtutis* ſunt ejuſdem generis, ac ad eandem ſcientiam pertinent, ut mox dixi.

Utraque eſt prima, quia utriuſque attributum primò & per ſe convenit earum ſubjectis, & cum iis reciprocè convertuntur, *capax* enim *virtutis moralis* primò & per ſe convenit *animali participi rationis*, & cum eo reciprocè convertitur. Omne ſiquidem animal particeps rationis,

eſt

est capax virtutis moralis, & omne capax virtutis moralis est animal rationis particeps, &c. Similiter *animal rationis particeps* quod potest in agendo rectam sequi rationem, convenit *homini* primò, qui est subjectum ejus, cum sit ejus definitio, ut per se patet.

Utraque est immediata, major quidem; quia nulla est ratio *capacis virtutis moralis* nisi animal rationis particeps quod potest rectam in agendo sequi rationem. Minor quoque est immediata: quia attributum est definitio subjecti, scilicet *animal rationis particeps* quod est attributum propositionis, est definitio subjecti scilicet *hominis*.

Sunt priores naturâ, ordine, cognitione, quia causæ sunt conclusionis quæ eam naturâ, ordine & cognitione præcedere debent: *capax* enim *virtutis* procedit à ratione ut effectus necessariò consequens causam.

Sunt ambæ notiores, quia per eas innotescit conclusio, ac denique ejus causæ sunt quia eam generant; veram, & propriam ejus causam continent, *animal* enim *particeps rationis* est vera causa *capacis virtutis*, & sic patet fieri posse perfectam & accuratam demonstrationem.

Verùm quia tota aut certè præcipua difficultas demonstrationis occurrit in reperiendo primo attributi demonstrandi subjecto, ejusque investigandâ definitione, de iis nunc agendum.

CAPUT XI.

De primo subjecto *Demonstrationis.*

I. Quid & quotuplex primum subjectum. II. Primum est univocum tum secundùm nomen, tum secundùm rationem. III. Secundum est univocum secundùm rationem tantùm. IV. Tertium est analogum. V. Quid de æquivocis agendum. VI. Quomodo procedendum?

D. QUid est primum subjectum demonstrationis?

I. Quid & quotuplex est primum subjectum.

M. Primum subjectum est illud cui primò & per se convenit aliquod attributum, ita ut reciprocè cum eo convertatur. Sic *homo* est primum subjectum *capacitatis virtutis moralis*. Omne siquidem animal capax virtutis moralis est homo, & vice versâ omnis homo est capax virtutis moralis.

D. Quotuplex est illud primum subjectum?

M. Triplex est seu tribus modis & indiciis detegitur. Primum est quod habet unum commune nomen & rationem communem unam huic nomini respondentem, quod univocum propriè dicitur tum ratione nominis, tum ratione significationis: sic *homo* commune nomen habet omnibus hominibus, & rationem communem unam huic nomini respondentem: scilicet *animal rationis particeps*, & hoc primum subjectum faciliùs reperitur.

II. Univocum secundùm nomen & rationem.

III. Secundum est, quod non habet unum commune nomen, licet habeat unam communem rationem, & tum loco nominis assumi debet hæc communis ratio. Sic τὸ *rotundi* primum subjectum non habet unum commune nomen, convenit enim circulo & globo figuris specie differentibus, quibus ratione hujus attri-

III. Secundum est univocum secundùm rationem tantùm.

buti non convenit aliquod commune nomen, licet eis conveniat aliqua communis ratio, nimirùm quòd sint figuræ uno termino contentæ, qui æqualiter distet à centro seu puncto medio, & hæc ratio loco nominis debet assumi quoties hoc attributum de iis est communiter demonstrandum.

IV. Tertium est analogum.

Tertium est analogum, id est, quod habet nomen quidem unum & commune, rationem verò huic nomini respondentem non habet unam & univocam, sed analogam tantùm, seu partim eandem, partim diversam. Sic *vivens* dicitur de Deo, de Angelis, de animalibus & plantis quæ omnia viventia dicuntur: ratio verò *viventis* in his omnibus non est una & eadem, nisi secundùm analogiam, seu similitudinem & proportionem quandam: quæ tamen ratio accipi debet, ubi hoc attributum est de iis communiter demonstrandum.

D. Quoniam de univocis & analogis dixisti. Quid censes de æquivocis?

V. De æquivocis.

M. Æquivoca priùs distingui debent quàm definiri, quia non unum quid, sed diversa planè significant. *v. c.* si quis de cane loquatur; distingui debet de quo cane loquatur, an de sidere, an de cane latratili, an verò de pisce qui canis vocatur.

VI. Quomodo procedendũ.

D. Quid præterea faciendum, quando quidem res est tanti momenti?

M. Cautè demonstrator debet procedere, ne loco generis assumat speciem, ne ve loco speciei assumat genus; *v. c.* ne loco trianguli rectilinei assumat Isosceles, quia alia sunt attributa propria trianguli, quæ conveniunt omni & soli triangulo, non tamen soli Isosceli, & quædam sunt propria soli Isosceli, quæ non conveniunt omni triangulo.

Sed nec loco speciei sumi debet

aliquod ejus individuum; qu ia propria ſpeciei attributa reciprocè convertuntur cum ipsâ ſpecie, & latiùs patent quolibet individuo. Quando igitur in Geometriâ de circulo aut triangulo deſcripto demonſtratur aliquid, id non fit de ſingulari illo circulo ſeu triangulo, ſed de circulo ſeu triangulo ſecundùm ſpeciem ſumpto. Verbo dicam ſubjectum primum æquari debet attributo primo, & vice versâ, ita ut nec univerſalius eo ſit, nec minùs univerſale; ſed ei omni ſoli & ſemper conveniat. Quomodo *capax virtutis moralis* convenit omni ſoli & ſemper *homini* primò & per ſe.

CAPUT XII.

De Definitione.

I. Quid & quotuplex definitio. II. De principiis causisque rerum quatenùs inserviunt definitioni. III. De definitione accidentium. IV. De definitione logicâ.

I. Quid & quotuplex definitio.

D. QUid est definitio?

M. Duplex est, alia nominis, alia rei.

D. Quid est definitio nominis?

M. Est oratio explicans significationem nominis alicujus obscuri aut minùs noti per voces magis notas. Sic Eclipsis dicitur defectus luminis in sole, lunâ, vel aliâ stellâ.

D. Quid est definitio rei?

M. Est oratio explicans rei naturam.

D. Quomodo explicatur rei natura?

M. Per ea à quibus derivatur, aut quibus innotescit.

D. A quibus derivatur rei natura ?

M. A principiis & causis propriis per quas explicari debet ubi notæ sunt, aut si quas habet. Sic formæ Mathematicæ puræ, numeri scilicet & figuræ explicantur per sua principia propria.

D. Quibus innotescit rei natura ?

M. Per effecta propria, ex quibus rei natura investigatur ; quoties eâ notiora sunt ; & rei principiis causisque magis manifesta, nam ratiocinando semper procedere debemus à notioribus ad minùs nota.

II. De principiis & causis rerum quatenùs inserviũt definitioni.

D. Quænam sunt principia propria numeri ?

M. Sunt unitates primique numeri, duo scilicet & tria, seu trinitas, dualitas & unitas, ex quibus oriuntur & componuntur cæteri numeri.

D. Quænam sunt principia prima figurarum ?

M. Punctum, linea & superficies, quia per hæc omnis figura inchoatur, terminatur, continetur ac definitur.

D. Quænam sunt principia prima rerum naturalium ?

M. Sunt materia & forma, quia ex his res omnis naturalis fit & componitur; ex materiâ, quia non fit ex nihilo; ex formâ verò seu ratione, quâ materia per hanc formam ad finem aut functionem aliquam determinatur.

D. Quid est materia ?

M. Est id seu subjectum ex quo res aliqua fit, ut lignum ex quo fit ignis; & si agatur de materiâ primâ, est subjectum primum ex quo insito res aliqua fit, & in quod ultimò resolvitur.

D. Verùm enim verò lignum est aliquid actu certam habens quanti-

tatem, certas qualitates, *&c.* Materiam verò dicunt nihil esse actu, nec quid, nec quantum, nec quale, *&c.* Quid tandem est hoc?

M. Id quidem quod est materia, ut lignum est aliquid actu, seu certam habet essentiam, certam quantitatem, qualitates certas; sed quatenùs est materia præcisè sumpta, seu materia prima sub hâc ratione materiæ, nihil est actu, sed tantùm potestate, id est potest esse aliquid, ut lignum potest esse ignis, & hæc potentia cum privatione conjuncta est propria ratio materiæ. Ideò enim aliquid est materia alterius, quia potest eâ fieri. Verùm hoc discrimen est inter materiam rerum arte factarum & naturalium, quòd ea semper suam servat formam naturalem, suam quantitatem, & suas qualitates. At verò materia rerum naturalium non ita, sed formam, quantitatem & qualitates mutat,

v. c. Quando ex ligno fit ſcamnum, ſemper manet lignum; ſed quando ex ligno fit ignis, non manet lignum, nec naturam, nec quantitatem, nec qualitates ligni habet, ſed has omnes exuit, ut induat naturam, quantitatem & qualitates ignis.

D. Quid eſt forma rei naturalis?

M. Eſt eſſentia & ratio rei ex ejus fine ſeu functione expreſſa, quâ res eſt id quod eſt, quâque materia fit id quod eſt; ſic anima hominis eſt id quo homo eſt homo, quo ejus materia informatur, & fit id quod eſt.

D. Unde derivatur illa forma?

M. Omnis forma ſive naturalis ſive artificialis primùm derivatur ab aliquâ mente, ſeu intelligente principio, ut forma domûs, forma cathedræ ab artifice; forma equi, forma hominis à Deo authore naturæ.

D. A quo ſeu quo modo talis forma exprimitur?

M. Ex-

M. Exprimitur per intelligens principium à fine seu functione ad quam destinat opus suum.

D. Quare?

M. Quia mens omnis sapiens, quæque non agit temerè, primò finem seu functionem operis intendit, ex quâ totam operis rationem colligit, quam formam vocamus; unde cum hæc finis & functio nobis est magis nota, ut solet esse in naturalibus arte factis & politicis, ex eâ operis rationem, formam, essentiam & naturam colligimus, sic ex visione oculi fabricam formamque oculi colligimus; auris, ex auditione; hominis ipsius, ex ratione seu ratiocinatione universali.

Quare quisquis finem in physicâ negligit, nullam unquam rei naturalis scientiam assequetur.

D. Neglexit tamen Cartesius qui solus Physicus propemodum nunc habetur.

M. Ideò Carteſius vix ullam Phyſicæ notionem aſſecutus eſt, ejuſque fabuloſa Mundi fabrica nullam intelligentiam, ſapientiam aut providentiam indicat, omniaque tribuit fatali triplicis pulveris impreſſioni, falſiſque motûs legibus, ex ignoratione morûs & corporis naturalis omninò profectis, nec dubitem aſſerere hoc Philoſophiæ genus, non leviter fidei nocere, quâ nulla finis, nulla mentis, nulla ſapientiæ aut providentiæ ratio habetur. Sed omnia ex phanaticis colliguntur corpuſculis, quæ in ſolâ imaginatione ſunt eo numero, ordine, figurâ, ſitu, motu, quæ cuique placent, prædita.

D. Ergone aliæ cauſæ negligendæ ſunt in definitione præter finem ſeu functionem rei?

M. Minimè verò, ſed efficiens & materialis conſulendæ ſunt. Verùm quia finis primùm determinat effi-

ciens ad formam, formaque materiam specificat, ideò præcipuè consulenda finis est seu functio, v. c. Si fabrum lignarium alloquaris, ut tibi faciat cathedram, quæret is, si sapiens & peritus sit, ad quam finem seu functionem, ex eâque cathedræ rationem seu formam desumet, & convenientem ei formæ eliget materiam.

D. Hactenùs de subjecti definitione dixisti, nunc vellem aliquid diceres de definitione attributi. III. De Definitione attributi seu accidentis.

M. Attributa, præter essentialia, duplicis sunt generis; alia sunt propria, alia verò communia; illa dicuntur rei proprietates, hæc accidentia communia; illa sequuntur formam & essentiam rei naturalis, hæc materiæ portionem ex quâ res naturales constant; illorum ratio quærenda est in ipsâ essentiâ, & ubi primùm eorum subjectum reperitur, ibi reperitur eorumdem ratio. v. c. *Capax*

virtutis moralis eſt proprium *hominis* attributum ſequens ejus eſſentiam & ab eâ procedens, & ejus ratio in hominis ratione reperitur. Hominis ratio eſt quòd ſit *animal rationis particeps*, & eadem eſt ratio cur ſit *capax virtutis*; & hæc accidentia propria ſola demonſtrantur de ſuis ſubjectis. Habent & accidentia communia ſua prima ſubjecta; certam ſcilicet materiam, cui conveniunt, ex quâ potiùs quàm ex aliâ fiunt certæ res naturales, verùm quia non facilè licet eam reperire, ideò definiri poſſunt per duplicem ordinem quem dicunt alterum ad ſubjectum, alterum ad functionem aut effectum ſuum, aut alterutrum eorum ſeparatim ſumptum. Sic color qui fortaſſis habet aliquod primum ſed valdè commune ſubjectum inveſtigatu difficile, definiri ſolet per ordinem ad ſubjectum in quo eſt extremitas perſpicui in corpore terminato, id eſt, terminus perſpicui

seu transparentis corporis in corpore residens minimè transparente, sed definito, per quod non permeat lumen; sic color parietis minimè transparentis terminat aërem corpus perspicuum, actu quidem perspicuum ubi lumen adest; per ordinem verò ad effectum seu functionem suam definitur idem color motivum perspicui in actu, seu id quod agit & movet corpus perspicuum perfectè perspicuum, seu quod actu illustratur à lumine, & fit actu transparens.

IV. De Definitione Logicâ.

D. Quare definitio dici solet oratio constans ex genere proximo & differentiâ maximè propriâ?

M. Quia non rarò investigari solet rei definitio res inter se comparando & observando in quo proximo genere conveniunt, quod vocatur genus rei definiendæ proximum, & in quo res ejusdem generis à se maximè differunt, quod differentia

maximè propria vocatur : quæ definitio logica dicitur ; quia res considerantur quatenùs logicis intentionibus generis & differentiæ sunt subjectæ.

Omnis autem definitio clara esse debet, quia fit ad rem manifestandam. Brevis, ne perplexitatem pariat, ita tamen ut evitetur obscuritas, quæ brevitatis comes esse solet, ac denique universalis, non tamen universalior re definitâ, sed ita ut ei omni soli & semper conveniat, quomodo *animal rationis particeps* convenit omni soli & semper *homini*.

D. Quomodo investigari solet hæc definitio ?

M. Investigari solet divisione summorum generum, quæ Categoriæ vulgò dicuntur, substantiæ scilicet, quantitatis, qualitatis, *&c.* quorum levis aliqua in Logicâ tradi solet cognitio ad has definitiones investigandas ; plenior autem eorum tracta-

tio ad Metaphysicam reservatur. Ideò hîc dicemus de divisione generis in suas species.

CAPUT XIII.

De Divisione generis in suas species.

I. De Divisione generis in species universè. II. De Divisione substantiæ. III. Quid est substantia pura, quid impura. IV. Quâ ratione pura ab impurâ dignoscitur. V. An belluarum anima dicenda sit substantia, an immortalis. VI. An anima hominis sit substantia, an immortalis. VII. Non est accidentium congeries nec subtilis materia in bellnis aut plantis.

D. QUomodo genus omne dividi debet in suas species? I. De divisione generis in suas species.

M. Per differentias generi prorsùs intrinsecas.

D. Quid vocas per differentias prorsùs intrinſecas ?

M. Voco eas quæ ſub ipſo genere ambitu ita continentur, ut extrà illud genus in eodem ſenſu non reperiantur, quæque contrahant & determinent ipſam differentiam generis conſtitutivam.

D. Da nobis aliquod exemplum ut hoc meliùs & pleniùs intelligamus.

M. Triangulum eſt genus quoddam figuræ quod varias ſub ſe ſpecies continet, ſcilicet Æquilaterum, Iſoſceles & Scalenon. Differentia porrò conſtitutiva trianguli eſt tria habere latera, quæ in ſingulis ejus ſpeciebus reperiri debet cum quâdam determinatione laterum trium. Sic æquilaterum habet quidem tria latera, ſed æqualia, & ita per æqualitatem trium laterum determinat differentiam trianguli, quæ tria tantùm dicit latera abſtrahendo ab æ-

qualitate & inæqualitate laterum. Isosceles quoque tria habet latera, sed quorum duo tantùm sunt æqualia; Scalenon similiter habet tria latera, sed omnia inæqualia.

II. De divisione substantiæ.

D. Dixisti quidem aliqua de divisione substantiæ, sed pollicitus es plura te dicturum agendo de divisione.

M. Non recuso, & eò quidem libentiùs, quòd ea paucis sit nota, licèt ex eâ corporis naturalis, & mentis seu spiritûs, ut nunc loquuntur homines, omninò dependeat notio.

Substantia igitur universè dicitur ens per se subsistens, eamque divisimus in puram quæ nullum includat subjectum, & impuram quæ subjectum includat.

D. Quare dividis in puram & impuram?

M. Quia licèt substantiæ nomen à substando derivatum sit, idem

fæpè ſignificat quod eſſentia, eodemque nomine ſubſtantiam & eſſentiam exprimunt Græci, ſcilicet οὐσία, idemque ſignificat ſubſtantia pura, ac eſſentia pura, ſcilicet ea quæ nullum includit ſubjectum, & hæc eſt prior & potior ſubſtantiæ ſpecies. Impura verò dicitur ea quæ includit in ſuâ ratione ſubjectum, ita tamen ut ab eo non dependeat eſſentia; ſed potiùs ſubjectum ab illâ; ſic anima deſiderat corpus, non ut ſubſiſtat per corpus, ſed corpus potiùs per illam, & ita duo ſunt modi ſubſiſtendi per ſe, quæ differentiam conſtitutivam ſubſtantiæ, ſcilicet *ſubſiſtere per ſe*, dividunt. Pura quæ ſubſiſtit ſeparatim ab omni ſubjecto. Impura quæ ſubſiſtit quidem cum ſubjecto, ſed independenter ab eo, ut jam ſuperiùs diximus, & hîc pleniùs exponemus.

D. Quare unam vocas puram & alteram impuram?

M. Quia una nihil aliud est quàm essentia, nec ulli subjecto est permixta; altera verò dicitur impura, quia subjecto est conjuncta seu permixta, sicut vinum purum vocamus quod nulli aquæ seu alteri liquori est permixtum; impurum verò vinum quod aquæ aut alteri liquori est permixtum.

D. Quid est pura substantia?

III. Quid est pura, quid impura?

M. Est essentia pura per se subsistens, separata ab omni subjecto, qualis est divina, ut diximus, & angelica natura, quæ ab omni subjecto & omni materiâ sunt prorsùs immunes, in quibus, ut diximus, idem est essentia & habens essentiam, idem nomen abstractum & concretum, idem significat Deus & divinitas. De his jam diximus, nec pigebit hîc repetere.

Impura verò est ea quæ præter essentiam aliquod subjectum seu materiam includit, non quâ subsistat,

sed quæ subsistat per illam, ut mox diximus, & in his non est idem essentia ac habens essentiam, non est idem nomen abstractum & concretum, nam abstractum significat solam formam seu essentiam; concretum verò significat habens formam seu essentiam, quod quidem ab ipsâ essentiâ seu formâ distinguitur. Et est aliqua pars aut portio materiæ facta particeps alicujus formæ essentialis aut substantialis; quæ tribuat essentiam huic materiæ portioni, quæ per se nullam habet; quæque ei dat esse seu existere. Ita *homo* v. c. dicit *humanitatem & aliquam materiæ portionem habentem humanitatem quam ipsa facit hominem, & cui dat esse* seu *existere*, quia per se nudè spectata præcisè quâ materia est, nullam habet essentiam & existentiam, idem dicas de equinitate respectu equi seu bucephali, & hæ essentiæ dicuntur formæ substantiales, quarum

quarum vix ulla notio in scholis remansit, quæ eas confundit cum formis accidentalibus.

D. Quid est ergo forma substantialis cujus vix ullam dicis in scholâ ideam remansisse?

M. Est tota corporis naturalis essentia seu rei formaliter spectatæ. Ratio tota ex omnibus ejus operationibus aut functionibus expressa omnium functionum principium, & omnium proprietatum radix, præter quam nihil est substantiale in corpore naturali præter materiam singularem seu certam materiæ portionem; quæ totam suam essentiam & existentiam debet formæ substantiali, sic humanitas est forma substantialis hominis, tota ejus essentia expressa ex omnibus operationibus aut functionibus ejus, earumque omnium principium & proprietatum radix, ex quâ & certâ materiæ portione fit homo. Sicut ex certâ por-

tione luti testa fit aliqua accessu formæ secundùm finem ad quem destinatur.

D. At enim anima dicitur forma substantialis hominis, & non solet cum humanitate confundi.

M. Anima in Scholis Christianis sæpè confunditur cum mente hominis, & ejus forma dicitur; sed tum anima hominis inadæquatè sumitur pro superiori & potiori parte animæ, non verò pro totâ animâ.

D. Quare non pro animâ totâ?

M. Quia anima tota omnium Philosophorum saltem judicio est principium omnium vitalium operationum hominis, scilicet nutritionis, accretionis, generationis, sensionis omnis, & appetitionis sentientis, seu sensum consequentis; operationes autem vitales recipiuntur in principio, à quo procedunt; hæ autem operationes, ut per se patet, non recipiuntur in mente;

neque enim mens nutritur, crescit, aut generat, neque sentit; sensus enim belluis omnibus tribuitur ab omnibus, præter paucos Cartesii sectatores, qui sensibus suis renunciare potiùs volunt, quàm stolidis Cartesii erroribus; mens autem à pauciſſimis belluis tribuitur, iisque à Cartesio deceptis, qui cùm belluas sentire vident, malunt iis mentem tribuere, quàm à Cartesii erroribus penitùs recedere, qui sensum omnem à solâ mente procedere contendit, & ideò animas belluarum immortales esse volunt, sed divino quodam, eoque planè fictitio decreto extingui; quidquid id est, hæ functiones ad hominem totum, non ad solam mentem spectant, sed potiùs ad corpus, quatenùs id à mente distinguitur, ut pleniùs ex infrà dicendis patebit.

Cùm igitur omnium judicio harum omnium operationum principium sit anima tota & adæquatè

ſumpta, fieri non poteſt ut ea tota ſit mens, aut tota ſpiritalis, unde S. Auguſtinus cap. 12 lib. 4 *De origine animæ*, obſervat animam tam in Scripturis ſacris nunquam dici ſpiritalem ſeu ſpiritum, ſed eam à ſpiritu diſtingui.

D. Quid tandem concludis?

M. Animam hominis adæquatè ſumptam ab humanitate minimè diſtingui, ſi quidem ea non diſtinguuntur quibus competit eadem ratio ſeu definitio: atqui animæ humanæ adæquatè ſumptæ & humanitati competit eadem definitio; anima enim hominis adæquatè ſumpta eſt principium omnium operationum ejus, ſimiliter humanitas eſt earum omnium principium: ergo eadem utrique convenit definitio, ac proinde res eadem ſunt.

D. An anima hominis ita ſpectata & adæquatè ſumpta dici poteſt ſubſtantia?

M. Si nomine ſubſtantiæ intelligas ſolam eſſentiam, anima adæquatè ſumpta dici poteſt ſubſtantia, hoc eſt, eſſentia hominis; ſed ſi nomine ſubſtantiæ intelligas rem per ſe ſubſiſtentem, aut quæ poſſit per ſe ſubſiſtere, anima ita ſumpta, non eſt ſubſtantia, non eſt res quæ poſſit per ſe ſubſiſtere.

D. Ergo dici debet accidens, quia quidquid eſt, vel eſt ſubſtantia, vel accidens.

M. Minimè verò, ſed eſt pars ſubſtantiæ & quidem præcipua pars, præter quam eſt alia pars, ſcilicet materia ſingularis, ſeu materiæ quædam portio, quæ ipſa præciſa & per ſe ſpectata, ſub ſolâ ratione materiæ non eſt ſubſtantia ſeu res per ſe ſubſiſtens, licèt ſubſtantia dicatur per modum ſubjecti, ſed totum ex his conſtans eſt vera ſubſtantia, ſeu res per ſe ſubſiſtens.

D. Quid de mente hominis cenſes?

M. Ea eſt verè & propriè dicta ſubſtantia, quia poteſt per ſe ſubſiſtere ſeparatè ab omni corpore.

IV. Quâ ratione pura ſubſtãtia ab impurâ dignoſcitur.

D. Quare mens hominis propriè ſubſtantia dici poteſt, & poſſe per ſe ſubſiſtere?

M. Quia operationem habet ſibi propriam corpori minimè communem, qualem aliæ partes animæ non habent, unde dici poteſt pura ſubſtantia.

D. Quomodo dignoſcam puram ſubſtantiam ab impurâ?

M. Dignoſces per operationem, omnis enim ſubſtantia, omniſque natura dignoſcitur ab operatione ſeu functione ſuâ propriâ, quæ propria eſt ejus finis, & à quâ totam ſuam rationem deſumit; hinc dicimus eam exprimi ab ejus fine ſeu functione. Unde ſi pura ſit operatio, pura erit eſſentia; forma ſeu natura, ſi fuerit impura, impura quoque erit eſſentia, natura, ſeu forma.

D. Quomodo sciam operationem esse puram vel impuram?

M. Scies ex objecto, à quo suam operatio desumit essentiam seu rationem. Quare si objectum sit purum, pura erit operatio & substantia, à quâ procedit pura; sin autem objectum sit impurum, operatio erit impura, & natura impura.

M. Quid vocas objectum purum, quid impurum?

M. Objectum purum voco puram formam sine subjecto perceptam, seu secretam & separatam à subjecto & ejus affectionibus. Ita mens v. c. percipit circulum sine ullo subjecto sensili, circulum dico purum, qui nihil aliud sit quàm circulus, illum separando à subjecto & affectionibus ejus, quod nulla alia vis aut facultas hominis præstare potest. Visus enim, idemque dicas de cæteris sensibus tum internis tum externis, non percipit circulum pu-

rum, eum à ſubjecto ſecernendo & ſeparando, ſed ſimul eum percipit cum ſubjecto & affectionibus ejus; videt enim circulum in aliquo ſubjecto ſimul cum ſubjecto, ejuſque affectionibus viſibilibus, in auro v. c. lapide, vel ligno, ſimul cum ejus magnitudine, colore, motu vel quiete; at verò mens ſolum purumque percipit circulum.

D. Sed purus ille circulus nuſquam eſt.

M. Eſt in mente. Mens enim nihil percipit niſi in ſe ſit, quidquid autem in aliquo eſt, in eo eſt per modum ejus; unde cùm circulus in mente ſit purus, arguit mentem ipſam eſſe puram. Sicut enim quidquid eſt in auro eſt aureum ita quidquid eſt in ſubjecto puro, purum eſt, ſeu quidquid eſt in ſubjecto ſpiritali eſt ſpiritale, ac indicat mentem eſſe puram, ſecretam & ſeparabilem ab omni ſubjecto & ſubjecti affectione.

Visus autem non ita percipit circulum; sed simul cum subjecto in quo est, ejusque affectionibus visibilibus; quod indicat visum non esse formam puram, sed impuram, seu formam subjecto permixtam, quæ percipit formam simul cum subjecto, quales sunt omnes sensus.

D. Vellem clariùs mihi explicares quid tandem sit illa forma impura?

M. Si visum semel perciperes, omnes eas formas impuras conciperes.

D. Quid tandem est visus?

M. Est actus primus oculi seu prima ejus perfectio, quæ tum est, quando oculus est omninò perfectus, ita ut possit videre: unde & videndi potentia dicitur, cui respondet visio, ultima & secunda ejusdem oculi perfectio, quæ dicitur actus secundus, qui ab oculo simul & objecto dependet.

D. Eſt-ne viſus ab oculo ſeparabilis?

M. Minimè verò, nihil enim aliud eſt quàm ipſa integritas, completio & abſolutio omnium partium oculi, quæ ad viſionem deſiderantur. Nec puto meliùs exprimi poſſe quàm per perfectionem primam ſeu actum primum, quod idem dicas de omnibus potentiis animæ vegetativæ & ſentientis, unde partes earum ſæpè dicuntur, & ſicut oculus eſt pars corporis, ita viſus eſt pars animæ ſentientis, exceptâ ſemper hominis mente, quæ non eſt organica, ſeu quæ nullius organi eſt perfectio, quæ nullum organum, nullamque certam habet in corpore ſedem. Sed eſt vera ſubſtantia potens per ſe ſubſiſtere, quæ propriam habet operationem ab omni corpore & affectione corporeâ ſecretam, ut mox oſtendimus.

D. Si anima vegetans & ſentiens

partes habeat: ergo partibilis & divisibilis dici debet, quod tamen multi negant.

M. Divisibile propriè dicitur, quod post divisionem factam, suam speciem, formamque servat. Sic aqua in aquas, aër in aëres aut aëris partes dividi potest, lapis in lapides, lignum in ligna. Et hoc modo vegetans anima & sentiens in belluis imperfectis dividi sæpè potest. Sic videmus partes plantarum terræ aut aliis plantis insertas sæpè vivere, nutriri, crescere, generare, & animam proinde habere vegetantem, eamque divisibilem esse simul cum plantâ, simili modo animalium imperfectorum animæ sæpè dividi possunt; videmus enim lacertæ caudam abscissam sæpè vivere, sentire, se movere cùm pungitur. At verò perfectorum animalium anima non ita vivit, neque sentit, ubi enim pars abscissa fuerit à toto, non am-

pliùs vivit, neque ſentit. Unde minimè diviſibilis eſt, propter eam quam partes habent connexionem cum toto, & præcipuis quibuſdam partibus ejus, à quibus vivendi, ſentiendi, & ſe movendi vim habent, ac continuò derivant ſanguinis vitalis, & animalis ſpiritûs communicatione.

V. An bellua-rũ animę ſubſtantiæ ſint & immortales.

D. Quid ergo ſentis de belluarum animabus, an eæ ſubſtantiæ ſint & immortales?

M. Subſtantiæ quidem dici poſſunt, eo modo quo eſſentia dici poteſt ſubſtantia, quia reverà anima belluarum eſt tota earum eſſentia, principium omnium operationum & radix omnium proprietatum, ut ſatis conſtat ex ſuprà dictis; ſed non ſunt ſubſtantiæ quaſi res per ſe ſubſiſtentes, ſeu quæ poſſint per ſe ſine ullo ſubjecto ſeu corpore ſubſiſtere; quia nullam habent operationem ſibi propriam, nullam

nullam quæ non poſtulet corporis ſocietatem & commercium, nullam quæ dici poſſit pura, ut patet ex viſu & viſione ſuperiùs explicatis, nec quidquam, niſi res omninò ſingulares ſenſiles percipiunt, quæ omnes ſunt materiales, neque eas percipiunt, eas abſtrahendo & ſeparando à materiâ, ſed ſimul cum materiâ ſeu ſubjecto & ejus affectionibus, v. c. bellua nequit percipere circulum purum, qui nihil aliud ſit quàm circulus, nec hominem purum, qui nihil aliud ſit quàm homo. Sed percipiunt hunc aut illum circulum in hoc aut illo ſubjecto, hunc aut illum hominem, ipſum verò hominem purum, ſeu qui nihil aliud ſit quàm homo, non percipiunt.

D. Quid ergo ſunt illæ bellua-rum animæ?

M. Sunt actus primus, ſeu perfectio prima corporis earum, cùm

ſcilicet ita ſunt abſolutæ belluæ, completæ ac perfectæ, ut ſuas operationes tum vegetativas, tum ſentientes ſpeciei ſuæ debitas poſſint exercere; ſeu ipſa illa exercendi potentia cui reſpondet actus ſecundus ſeu operatio viralis & ſentiens. Quia ubi primùm eſt illa partium integritas & perfectio quæ requiritur ad operationes earum, ibi ſtatim eſt anima, & quandiu perſeverat, perſeverat etiam anima; ubi verò diſſolvitur, corrumpitur, aut graviter violatur, perit anima. Ergo in eâ ſita eſt, nec quidquam aliud eſt anima belluarum.

D. Eſt-ne aliquid ſecretum aut ſeparabile à corpore?

M. Nullatenùs, ut dixi, de viſu & oculo. Quiſquis viſum oculumque concipit, animas belluarum, earumque corpora concipiet.

D. Sunt-ne dicendæ immortales?

M. Minimè, quia ſunt actus &

perfectiones corporum organicorum, seu organis aliquibus instructorum, quæ dum integra & perfecta sunt, ita ut suas functiones obire possint, ut dixi, animâ prædita sunt, nec quidquam animæ earum sunt, ut dixi, quàm hæc ipsa partium omnium integritas & perfectio quæ ad earum operationes desideratur. Ubi verò deficit ea partium aut alicujus partis integritas, quæ ad vitæ functiones desiderantur, moritur, non anima belluæ, sed ipsa bellua, quæ vitæ mortisque capax est; non autem anima belluæ, quæ nec vitæ nec mortis capax est.

D. Quare anima belluæ neque vitæ neque mortis capax est?

M. Quia vivere tantùm dicuntur ea, quæ habent operationes vitales sibi proprias; animæ autem belluarum, nullas habent ejusmodi operationes sibi proprias, sed omnes sunt corpori communes tum vi-

tæ, tum ſensûs operationes, vitæ enim operationes ſunt nutriri, creſcere, generare; anima porrò neque nutritur, neque creſcit, ut per ſe patet; neque generatur niſi cum corpore. Similiter non ſentit niſi cum corpore, nullas ergo proprias habet operationes. Ergo vivens minimè dici poteſt, ſed id quo vivit bellua, quemadmodum Muſica ſeu Grammatica non canit aut loquitur, ſed eſt id quo quis canit aut loquitur. Igitur anima belluarum non eſt vivens, quod autem non eſt vivens, nec mortale nec immortale dici poteſt, quia mortale & immortale ſunt attributa propria viventis, ſoliſque per ſe viventibus conveniunt ſicut viſus non rectè dici poteſt videns aut cæcus, ſed oculus aut homo.

D. Quid ergo cenſes de iis qui eas immortales eſſe volunt?

M. Graviter contrà Philoſophiam peccant, nec omninò ſciunt quid

sit belluarum anima : nec leviter in Theologiam peccant, cum suo fictitio de morte animarum belluarum decreto Dei, quod nullibi legitur, neque unquam ante hoc seculum auditum est, (quo immanis fingendi licentia tum in Philosophiam tum in Theologiam obrepsit) ab iis intrusa qui solam suam imaginationem, non autem rationem, nec verbum Dei seu scriptum seu traditum consulunt.

VI. An anima humana substantia sit & immortalis.

D. Quid de animâ humanâ censes, an ea substantia dici possit & immortalis?

M. Omnis forma omnisque natura, ut sæpè jam diximus, totam suam rationem à suis operationibus derivat, talisque est quales sunt ejus operationes. Animæ autem humanæ operationes partim sunt materiales, partim spiritales, neque unquam universa anima, ut loquitur S. Augustinus, in Scripturâ Sacrâ

ſpiritus dicitur, ſed pars ejus. Ergo tres vulgò partes animæ humanæ aſſignantur; vegetativa, quæ principium eſt omnium functionum vegetativarum, nutritionis ſcilicet, accretionis & generationis, quæ ſine ullâ controverſiâ materiales ſunt, ac proinde hæc pars animæ humanæ tota materialis eſt.

Senſationes ſimiliter omnes, ut ſæpiùs oſtendimus, ſunt materiales, ac proindè pars animæ ſentiens eſt omninò materialis. Quod autem diximus de belluarum animabus, idem prorsùs de his animæ humanæ partibus dicemus, quæ iiſdem aut ſimilibus utitur organis, tum ad vegetantis, tum ad ſentientis vitæ functiones, nec quidquam aliud ſunt hæ animæ partes quàm organorum, quæ ad has functiones deſiderantur, integritas & perfectio prima, ſeu operandi potentia, quæ ab ipſis organis ſeparari minimè po-

test. Quæ partes non per se vivunt, seu nullas habent operationes sibi proprias & corpori minimè communes, proindeque nec mortales nec immortales dici possunt.

Quæstio igitur reducitur ad solam mentem hominis, an ea sit substantia & immortalis.

D. Vellem ergo demonstrares in homine mentem esse, eam esse ejus naturæ partem, eamque substantiam esse per se viventem, & immortalem.

M. Multa simul quæris, eaque gravissima, conabor tamen singulis satisfacere. Ac primò quidem dico in homine mentem esse. Quia ubi est operatio propria mentis, ibi mens est. At in homine est operatio mentis propria, eaque pura, ut sæpiùs ostendimus, quâ percipit circulum purum & hominem purum. Igitur in homine mens est, seu vis & potentia capax operationis puræ, nihil enim

aliud intelligimus nomine mentis.

Secundò, ea eſt pars & quidem præcipua humanæ naturæ. Quia proprium principium primæ & præcipuæ operationis humanæ naturæ, pars ejus eſt. Atqui mens eſt proprium principium primæ & præcipuæ operationis humanæ naturæ. Siquidem prima & præcipua operatio humanæ naturæ, eſt univerſalis rerum ſenſilium ratio ſeu ratiocinatio, hoc eſt ratiocinari ſeu diſcurrere de rebus ſenſibilibus universè ſumptis, ſeu ſecundùm genus & ſpeciem ſpectatis de earum rerum principiis, cauſis, effectis, quæque ex iis colligi poſſunt, quæ quidem operatio eſt ita homini propria, ut ei ſoli conveniat. Ergo mens quæ ejus eſt principium proprium, propria eſt hominis pars.

D. Quare non æquè particularis ratio ac univerſalis dici debet homini propria?

M. Quia particularis ratio à multis tribuitur etiam belluis, quæ unum particulare seu singulare ex alio singulari colligunt, v. c. canis venaticus colligit hunc cervum ex hoc odore hâc viâ transisse, illumque inter mille cervos discernit ex odore, licèt alii hanc vim in belluis malint æstimativam vocare potiùs quàm rationem particularem; quam uni homini convenire volunt propter ejus cum mente seu universali ratione affinitatem; non est tamen mens ipsa, sed organica seu materialis quædam vis in cerebro residens, si tamen ab imaginatione hominis distinguatur.

D. Quare non est mens ipsa?

M. Quia mens non alias quàm universales suscipit ideas, ut ostendimus suo loco, ex quibus suas formar propositiones suasque colligit rationes; at verò particularis ratio procedit ex singularum rerum sen-

ſilium ſpeciebus quæ in mente nequeunt ſubſiſtere, quia eæ ſpecies ſingulares fiunt à materiâ, à quâ libera prorſùs mens eſt, & ita de ſolis rebus univerſalibus ſenſibilibus differit; ut alibi diximus.

D. An mens hominis verè ſubſtantia dici poſſit?

M. Omninò: quia poteſt per ſe ſubſiſtere & quidem ſeparatè ab omni ſubjecto, quia habet operationem ſibi propriam, nulli ſubjecto communem, unde non modò ſubſtantia eſt, ſed pura planè ſubſtantia propter operationem puram, ut jam diximus.

D. An mens vivens per ſe dici poteſt?

M. Poteſt certè. Quia vitales exercet in ſe operationes, quæ ab ipsâ procedunt, in eâque ipsâ recipiuntur, intelligere ſcilicet & velle; quæ à ſolâ mente procedunt, & in eâ ſolâ recipiuntur. Ergo per ſe vi-

vens est, nec ulla alia est anima aut animæ pars, quæ habeat tales operationes sibi proprias, ideòque minimè per se vivunt.

D. An mens hominis est immortalis?

M. Est sine ullâ controversiâ immortalis; omne siquidem vivens quod vitâ privari nequit, est immortale: atqui mens hominis est vivens, ut mox ostendimus, nec vitâ privari potest, quia nullum includit subjectum commune vitæ & morti, quoniam pura prorsùs est substantia ab omni subjecto planè secreta, ut demonstravimus; ergo certum est eam esse immortalem, neque ei magis accidere potest mors, quàm visui cæcitas, si per se subsistere sine oculo posset. Tum enim visus ipse foret ipsa cæcitas, aut certè cæcus, quod prorsùs est impossibile. Oculus quidem videns dici potest & cæcus, quia est com-

mune ſubjectum visûs & cæcitatis, quæ ſibi in eodem oculo ſuccedere poſſunt; ita corpus eſſe poteſt commune ſubjectum vitæ & mortis, non quodcumque, ſed naturale & organicum, quod modò vivit, quando & quandiu eſt integrum & perfectum, ut ſuperiùs diximus; moritur autem, ubi diſſolvitur hæc integritas atque perfectio. At verò mens nullum prorsùs agnoſcit ſubjectum, nullum organum, ut ex ejus operatione purâ conſtat; ergo ei nullatenùs accidere poteſt mors, & ita prorsùs eſt immortalis.

D. Tu, aut duas in homine ſtatuis animas, quarum una ſit materialis, immaterialis altera, aut certè unam quæ ſimul materialis ſit & immaterialis?

M. Unam tantùm in uno homine animam agnoſco, quæ partim ſit materialis, partim verò immaterialis; quia unitas omnis naturæ, formæ

aut

aut essentiæ derivatur à primariâ seu præcipuâ ejus operatione, propter quam cætera sunt omnia. Præcipua porrò hominis operatio, ut mox diximus, est universalis ratio seu ratiocinatio de rebus omnibus sensibilibus, earum principiis, causis, effectis, *&c.* Hæc autem operatio desiderat prævias omnium sensuum operationes, ex quibus suas exprimat ideas, sensus autem omnes, cùm interni, tùm externi, vires sunt organicæ, quæ foveri debent & ali, quæque reverà nutriuntur & crescunt, cùm earum nutriuntur & crescunt organa; nutritio verò & accretio functiones sunt vegetativæ; unde necesse est, animam rationalem esse sensitivam & vegetativam.

D. Sed sensitivæ & vegetativæ vires, quæ in integritate & perfectione organorum suorum consistunt, sæpè dissolvuntur, & penitùs pereunt in morte hominis. Quid

ergo tum præstabit mens, quam dicis esse immortalem?

M. Mens tum suas à Deo accipiet ideas, si ad eum conversa fuerit; sin minùs, in perpetuis manebit tenebris; omnis enim mentis cognitio ex ideis derivatur, quæ, ut diximus, tribus modis haberi possunt, vel infusione à Deo, vel à rebus ipsis sensuum ope collectæ, vel doctrinâ. In separationis à corpore statu, suas à solo Deo mens habebit ideas, easque sine controversiâ longè perfectiores quàm nunc sunt.

D. Hæc doctrina videtur nova.

M. Minimè verò; est expressa doctrina Divi Augustini, qui eam hausit ex Sacrâ Scripturâ, & ex eâdem illam probat & confirmat, ut ostendimus; non videtur etiam doctrinæ S. Thomæ contraria, qui non semel dicit animam hominis esse partim immersam materiæ, partim à materiâ liberam ratione facultatum

Loco superiùs citato.

ſuarum, neque omnium verè intelligentium menti, qui fatentur operationes vitales in homine partim eſſe materiales, partim immateriales, quarum principium eſt anima, quæ neceſſariò debet eſſe talis quales ſunt ejus operationes; neque enim aliunde deſumitur animæ aut cujuſcumque formæ ſeu eſſentiæ & natura & ratio, quàm ex ejus operationibus.

Denique omnes fatentur eſſentiam & naturam hominis ſeu humanitatem eſſe partim materialem, partim immaterialem. Oſtendimus autem ſuprà humanitatem eſſe ipſam hominis animam adæquatè ſumptam, ſeu quatenùs eſt principium omnium operationum ejus.

D. At enim humanitas eſt forma Metaphyſica, & tota hominis eſſentia.

M Qui humanitatem vocant formam Metaphyſicam, non ſatis

intelligunt quid sit forma Metaphysica; ea enim abstracta est ab omni materiâ singulari, sensibili & intelligibili, qualis est Deus, qualis est Angelus. Sed humanitas abstrahit tantùm à materiâ singulari, non autem à materiâ sensili, ut cæteræ formæ Physicæ; includit enim in suâ ratione carnes, ossa, nervos, *&c.* quæ sensilia sunt, licèt non includat has aut illas carnes, hæc aut illa ossa, quæ singularia sunt, à quibus abstrahit, & est reverà tota hominis essentia, tota forma, tota anima, neque alia est in homine forma.

D. Omnium judicio homo constat ex materiâ & formâ; tu solam agnoscis formam, de materiâ nihil dicis?

M. Verè quidem homo constat ex materiâ seu certâ portione materiæ & humanitate, quæ materiæ portio non pertinet ad essentiam hominis, sed ad ejus subsistantiam,

quia non ſine eâ ſubſiſtit humanitas, licèt non per eam ſubſiſtat, ſed ipſa potiùs per humanitatem, ut ſuperiùs diximus. In rebus autem Phyſicis, non eſt idem eſſentia & ſubſtantia, ut jam oſtendimus. Ergo licèt ex materiâ quâdam ſingulari conſtent ſinguli homines, ea tamen non pertinet ad eorum eſſentiam, ſed ad eorum ſubſtantiam; non eſt autem in Phyſicis idem eſſentia & ſubſtantia.

D. Quid ergo tu cenſes de iis, qui putant omnem animam eſſe congeriem accidentium, aut materiam quamdam ſubtilem, unam præter hominis animam ſeu mentem?

VII. Non eſt accidentiũ congerie, nec ſubtilis materia.

M. Cenſeo eos nullam omninò animæ, nullam corporis naturalis, nullam Phyſicæ diſciplinæ notionem habere. Quoniam quidem anima, omnium judicio, eſt forma corporis naturalis, primum ejus principium & eſſentia ejus tota, ac

principium omnium ejus operationum & proprietatum corporis naturalis organici ; quomodo autem accidens poteſt eſſe primum principium ſubſtantiæ, corpus enim naturale ſine ullâ controverſiâ ſubſtantia eſt, quod accidens omne ſemper ſupponit, multò minùs eſt accidentium congeries, quæ ex multis conſtat accidentibus, quomodo poteſt eſſe tota rei naturalis eſſentia, principium omnium operationum, & proprietatum radix quæ ſemper quid primum eſt in re. Sed nec materia ſubtilis eſſe poteſt, quæ quoddam corpus eſt, & ex iiſdem primis principiis conſtat, ex quibus cætera corpora componuntur : materiâ ſcilicet & formâ. Prima enim corporis naturalis principia ſunt ea, omnium judicio, quæ neque ex ſe invicem, neque ex aliis, ſed ex quibus omnia fiunt corpora naturalia. Quare certum eſt eos nullam

omninò corporis naturalis notionem habere qui ejus prima principia penitùs ignorant, nec proinde Physicæ disciplinæ notionem ullam, quæ totam suam rationem à corpore naturali derivat : fatentur enim illi saltem plerique materiam & formam esse prima principia corporis naturalis, & ultrò confitentur se scire quidem esse formam, sed nescire quid est, & mihi quoque certum est eos ne quidem scire quid est materia, cùm ipsi tribuunt propriam essentiam & existentiam, quas nullas habet, ut multoties ostendimus; sed eas à formâ derivat. Unde certum est ne leviſſimum Physicæ disciplinæ vestigium apud hos homines mansisse, qui sua corpuscula, suam triplicem materiam subtilem, globosam, striatam nobis obtrudunt, quæ ut ex solâ Cartesii imaginatione prodierunt, ita in solâ eorum phantasiâ, nusquam autem in rerum naturâ comparent.

CAPUT XIV.

I. Divisio substantiæ in extensam & cogitantem est inepta. II. Inducit in ignorationem corporis naturalis & mentis. III. Physicæ & Metaphysicæ. IV. Error & Ignorantia Cartesii. Unde nata. V. Substantiæ omnis ratio ex operationibus est repetenda. VI. Totius Physicæ ratio. VII. Ignota prorsùs Cartesio. VIII. Ne quidem quid scire sit novit.

D. QUid censes de divisione substantiæ in extensam & cogitantem?

M. Censeo eam esse prorsùs inep-

I. Divisio substãtiæ in extensam & cogitãtem est inepta.

tam, & Logicis institutis omninò contrariam.

1° Quia differentia divisiva alicujus generis ei debet esse prorsùs intrinseca, seu sub eo contineri, nec extrà genus illud in eodem sensu reperiri, aut ad aliud genus pertinere. At enim extensio non est intrinseca substantiæ, nec sub eâ solâ-

continetur, cùm ad aliud genus, ſcilicet quantitatis pertineat, cujus propria differentia eſt, quâ magnitudo conſtituitur, & ad omnes ſpecies magnitudinis ſpectat. Nam linea ſine ullâ controverſiâ extenſa eſt; vera ſpecies magnitudinis, quantitatis & accidentis, quod idem ſine dubio dicendum eſt de ſuperficie, quæ ſecundùm longitudinem & latitudinem extenſa eſt & diviſibilis, ſicut linea ſecundùm ſolam longitudinem: nec minùs certum eſt magnitudinem trinæ dimenſionis eſſe veram magnitudinis, quantitatis & accidentis ſpeciem, nulloque modo ſubſtantiam dici poſſe, licèt ſummâ cum ignorantiâ cum corpore naturali confundatur, cujus eſt affectio & accidens.

2° Accidens non poteſt eſſe differentia ſubſtantiæ, quia ſupponit ſubſtantiam conſtitutam, eique jam conſtitutæ advenit. At extenſio eſt

accidens, ſecundùm Carteſium, & accidentibus certè convenit, ut patet ex mox dictis.

3° Eſſentia rei à nullo ſenſu percipitur, ſed à mente ſolâ, cujus eſt proprium objectum; quemadmodum color non percipitur ab auditu, nec ſonus à viſu. Extenſio verò percipitur non ab uno tantùm, ſed à pluribus ſenſibus ut per ſe patet: ergo ad eſſentiam minimè pertinet quæ à mente ſolâ percipitur.

II. Inducit ignorationem corporis & mentis.

4° Differentia diviſiva ſubſtantiæ debet ejus differentiam conſtitutivam contrahere & determinare, ſicut ſpecies contrahit & determinat genus. Differentia porrò conſtitutiva ſubſtantiæ eſt per ſe ſubſiſtere, ſeu independenter ab omni ſubjecto; quod duobus fit modis, vel ita ut nullum prorsùs includat ſubjectum, quod advenit puris ſubſtantiis ſeu mentibus; vel ſi includat ſubjectum, non dependeat ab eo, ſed contrà

subjectum ab eâ, quod advenit omnibus formis Physicis substantialibus, quæ includunt subjectum, seu ejus potiùs societatem propter operationes suas postulant, non quasi ab eo dependeat, sed quòd illud potiùs ab ipsis dependeat, ut sæpè diximus. Sed extensio nullo modo determinat modum subsistendi per se. Non magis quàm album aut nigrum determinent differentiam constitutivam viventis aut animalis. Unde certum est ex hac divisione ortam esse ignorationem in Scholis materiæ & formæ substantialis, quarum vix ulla in Scholis ratio remansit; materiam enim plerique concipiunt per modum veræ, propriæque substantiæ, quæ per se subsistat, & verum corpus naturale sit, quo quid dici potest absurdius? Ut primum principium corporis naturalis, quod sine dubio compositum est, sit sui ipsius principium cùm sit corpus na-

turale. Formam quoque ſubſtantialem nonnulli volunt eſſe ſubſtantiam propriè dictam, ſeu rem per ſe ſubſiſtentem; ac proindè vel corpus naturale, vel mentem, cùm non aliæ ſint ſpecies ſubſtantiæ. Alii verò volunt eam eſſe verum accidens aut accidentium congeriem, quod magis abſurdum eſt. Ut primum ſcilicet ſubſtantiæ alicujus principium, ſit accidens quod ſubſtantiam ſupponit, jam conſtitutam, eâque ſemper poſterius eſt.

III. Phyſicæ & Metaphyſicæ.

Hinc quoque factum, quòd nulla notio corporis naturalis in Scholis remanſerit, cum ejus principia prima, materia ſcilicet & forma penitùs ſint ignotæ, nullaque proinde Phyſicæ ſcientiæ, quæ totam ſuam rationem à corpore naturali deſumit, quæ ejus eſt objectum proprium, ut Schola loquitur, aut proprium attributionis ſubjectum, & omnium proprietatum, quæ in

Phyſicâ

Physicâ demonstrantur fons & radix.

Sed nec animæ notionis vestigium ullum in Scholis remansit, ultròque fatentur ferè omnes se nescire quid anima sit. Nec immortalitatis ejus ulla vera ratio Physica. Unde nonnulli belluarum animas per se creari & immortales esse docuerunt. Neque præcipuæ partis Metaphysicæ integra mansit notio, quia vix ullum reperias, qui verum discrimen sciat inter naturale corpus & mentem, de quâ præcipua pars Metaphysicæ tractat, tantum est in principiis primisque notionibus errare!

5° Differentia constitutiva unius speciei alicujus generis non debet alteri speciei oppositæ ejusdem generis convenire, sed extensio convenit cogitanti cuidam substantiæ, ergo nullo modo possunt esse differentiæ divisivæ substantiæ universè sumptæ, neque constitutivæ spe-

cierum oppositarum.

IV. Error Cartesii unde natus.

Enim verò si cogitatio sumatur pro ratione particulari, uti sumitur à Divo Thomâ ejusque discipulis minimè certè contemnendis, operatio est materialis & organica, certamque sibi vindicat in cerebro sedem & organum, ut docet idem Doctor A. 4. q. 78 primæ partis. Sive sumatur cogitatio ut sumitur à Cartesio, ita ut ad mentem & omnes sensus tum internos tum externos pertineat, materialis partim est & organica, quales sunt omnes sensuum operationes; quæ suas certas habent sedes & organa, quæ omnia materialia sunt & extensa; quidquid dicat Cartesius, qui nullam unquam, aut sensûs aut intellectûs notionem habuit, has vires, facultates & animæ partes miserabiliter confudit, & ut hunc crassum suum & intolerabilem errorem confirmaret, ausus est summâ cum audaciâ

& impudentiâ, belluis sensum denegare contrà sensuum omnium fidem, & gentium omnium consensum.

Hanc autem tam confidentem ignorantiam ex linguæ gallicæ usu, cui magis assuetus erat Cartesius, quàm latinæ proficisci reor : quòd cogitatio gallicè soleat exprimi per vocem, *Pensée*, quæ quidem à multis soli menti tribuitur, ab aliis menti simul & interioribus sensibus saltem aliquibus conceditur ; à solo, quod sciam, Cartesio primo sensibus omnibus etiam externis aut eorum operationibus largitur. Verùm cùm nonnulli ejus discipuli viderent cognitionis gradum aliquem belluis minimè posse denegari, maluerunt iis mentem tradere, earumque animas immortales asserere, quàm Cartesii errori penitùs renunciare.

Ex simili prorsùs errore contigit Cartesio belluis animas denegare, quòd vox *Ame*, quæ animam gal-

licè significat; vix in abstracto belluis gallicè tribui soleat; vix enim audias *l'ame d'un cheval*, anima equi, quod quidem ex proprietate quâdam linguæ gallicæ accidit, quæ præcipuam animæ speciem pro genere sæpè sumit aut solam esse vult. Sic Itali voce *grano*, frumentum exprimunt, quòd præcipua sit grani species. Sed reverà Cartesius nunquam vidit aut percepit, quid sit cognitio, quotuplex ejus species aut gradus? quid sensus? quid intellectus? quid anima? imò verò quid corpus naturale sit, ita ut ausim asserere nunquam tam crassam, tam incredibilem & intolerabilem Physicæ ignorantiam, tantam Physici famam esse consecutam, parcant ejus sectatores, si his verbis uti cogar, ut eos à crassâ illâ ignorantiâ & phanaticis ejus inventis revocem, ac ad veritatem investigandam excitem, cujus vix ullam omninò no-

tionem in rebus naturalibus habuit Carteſius.

Ex his igitur conſtare ſatis puto ex hâc pravâ ſubſtantiæ diviſione ex Logicæ ignoratione ortâ, natam eſſe ſummam corporis naturalis & principiorum ejus ignorantiam, ac proinde Phyſicæ diſciplinæ tantam, ut vix ejus in Scholis relictum ſit aliquod veſtigium; ſummam quoque ignorantiam animæ, mentis, cognitionis, ſensûs & intellectûs, neque levem ſapientiæ ſeu Metaphyſicæ ignorantiam, quæ fortaſsè ex linguæ græcæ ignoratione profecta eſt, cui ſcientias omnes & artes ferè debemus.

Itaque ſubſtantia græcè dicitur οὐσία, quæ ſignificat etiam eſſentiam, quod nomen priſcis Latinis non ita eſt notum. Eſſentiæ verò ſpecies duplex eſt, ut jam diximus, alia quæ per ſe ſubſiſtit ſeparatè ab omni ſubjecto ſeu materiâ, quæ pura eſſentia

dici poteſt nulli ſubjecto permixta ſeu conjuncta : quales ſunt intelligentiæ ſeu puræ mentes, quæ actus puri, puræ formæ, ac formæ per ſe ſubſiſtentes ſine ullo ſubjecto dicuntur, quæque prorsùs incorruptibiles & immortales ſunt. Omnis enim corruptio & mors omnis oritur à ſubjecto ſeu materiâ, unde ubi nullum ſubjectum, nullaque materia, nulla fingi poteſt corruptio, nullaque mors, quæ privatio quædam eſt, quæ nulla eſſe poteſt ubi nullum eſt ſubjectum, cùm nihil aliud ſit, quàm abſentia formæ in ſubjecto apto.

Alia verò eſſentiæ ſpecies eſt ea quæ dicitur impura, quæ quidem ſubſiſtit cum ſubjecto, non tamen dependenter ab eo, quales ſunt omnes eſſentiæ Phyſicæ, quæ quidem dicuntur formæ ſubſtantiales, quæ unà cum materiâ cui tribuunt eſſentiam & exiſtentiam quæ per ſe nullas habet ſubſtantias Phyſicas,

per se subsistentes, seu corpora naturalia constituit.

Tertium addi potest genus essentiæ ex his duabus constans, scilicet humanitas seu homo qui corpore constat & mente, purâ scilicet & impurâ essentiâ.

Omnis autem essentia, ut sæpè diximus, forma, natura seu substantia dignoscitur per suas operationes ad quas ordinatur, & à quibus totam suam rationem desumit. Operationes autem ipsæ, ut sæpè diximus, ex objectis; objecta verò pura sunt ea quæ solam exprimunt formam abstractam à subjecto, ac sine illo perceptam; ut circulus purus, qui nihil aliud sit quàm circulus à mente solâ perceptus, ut jam ostendimus. Objecta verò impura sunt ea quæ formam simul & subjectum exprimunt, seu quorum forma simul cum subjecto percipitur, qualia sunt omnium sensuum

V. Omnis substantia ex operationibus est repetenda.

cùm internorum tùm externorum objecta; ut patet ex viſu & imaginatione, quæ nunquam formas puras & per ſe, ſed ſimul cum ſubjecto & affectionibus ſubjecti percipiunt; nunquam viſus vidit circulum purum, ſed circulum in aliquo ſubjecto, ſimul cum affectionibus viſibilibus ſubjecti, ut jam oſtendimus; quod idem dicas de imaginatione & cæteris ſenſibus.

Cùm autem certiſſimè puras has & impuras in homine detegamus operationes, certum eſt in eo eſſe harum operationum principia, ſubſtantiam ſcilicet puram & impuram ex quibus homo conſtet; puram autem ejus partem, & à ſubjecto immunem, eſſe quoque à corruptione & morte prorsùs immunem, & hæc eſt propria ratio incorruptibilitatis & immortalitatis animæ humanæ, quæ communiter in Scholis Chriſtianis cum mente confun-

ditur licèt malè, cùm reverà mens non sit universa seu tota anima, ut cum Divo Augustino loquamur, sed pars ejus; altera verò pars humanæ naturæ est corpus vegetans & sentiens, impura planè substantia, cujus omnes operationes sunt impuræ. Hæc si sciviſſet aut vidiſſet Cartesius, nunquam sensum animamque belluis denegaret, nec tam miserabiliter erraſſet in demonstrandâ distinctione humanæ animæ à corpore, cujus utriusque nullam omninò notionem habuit; quòd autem tantam apud multos admirationem consecutus sit, viros etiam alioqui certè doctos & eruditos, id gravem eorum tum Logicæ tum Physicæ ignorantiam apertè declarat. Esse possunt enim verò magni Architecti, qui non sint magni Latomi; magni Medici, qui non sint magni Chirurgi; & magni Theologi qui non sint magni Philosophi; & ausim confidenter

asserere quotquot phanaticis Cartesii fabulis capti fuerunt & decepti, eos leviter in Philosophiæ studio fuisse versatos, quales quales tandem fuerunt.

VI. Totius Physicæ ratio.

Hujus autem totius doctrinæ veræque Physicæ Christianæ ratio est, quòd omnes res naturales à Deo authore sapientissimo proficiscantur, qui suam in iis condendis sapientiam, in regendis providentiam manifestare voluit, quas imprimìs omnis verè sapiens aut sapientiæ amator Philosophus contemplari continuò debet.

Omnis autem sapiens author, sui operis finem aut functionem seu operationem primùm intuetur, ex quâ totius operis rationem colligit, quæ in mente vocatur idea seu ratio; extrà mentem verò forma, essentia seu natura; quæ talis est, qualis est functio seu operatio aut operationes, quæ si puræ sint om-

nes ab omni ſubjecto ſeu materiâ prorsùs immunes, ipſa quoque natura erit immunis ab omni materiâ & omninò pura; ſi verò impuræ ſint omnes operationes, impura erit & forma ſeu natura; ſi denique operationes partim ſint puræ, partim impuræ, forma ſimiliter erit partim pura, partim impura, qualis eſt humana natura, forma, eſſentia, ſeu anima tota.

VII. Phyſicæ ratio ignota Carteſio,

Carteſius autem omnem finis contemplationem è Phyſicâ ſuſtulit, omnemque proinde naturæ & eſſentiæ Phyſicæ rationem ignoravit, quæ tota prorsùs à fine deſumitur, & ex quâ naſcuntur attributa ſeu accidentia propria, quæ ſola de rebus ſeu corporibus Phyſicis demonſtrantur. Materiæ motûſque falſiſſimas habuit notiones. Vim omnem motricem & efficientem cauſis ſecundis denegavit, eaſque ſemel motas perpetuò moveri ſine ullâ ratione con-

tendit, & ita ne vestigium quidem ullum aut Physicæ reliquit aut scientiæ, sed omnia phanaticis turbavit inventis, inductis corpusculis, quæ nunquam nisi in solâ imaginatione comparent, quorumque, si forent magnitudo, numerus, ordo, figura, situs, motus & quies, à nullo unquam detegi possunt, ex quibus tamen, licèt ignotis, omnium affectionum & mutationum Physicarum rationem deducit. Omnes prætereà sensibiles affectiones proprias ferè prorsùs sustulit, colorem, odorem, saporem, calorem, à rebus ipsis amovit, easque cum sensionibus earum confudit, & has in mentem transtulit, ausus asserere calorem non magis in rebus esse quàm dolorem, quem omnem in solâ mente constituit, ac belluis denegat contrà sensuum omnium fidem. Sed si quæ Physicæ in Scholis supersit ratio, si dicenda scientia sit, quam ipsi

ipsi dignitatem nunc multi denegant; sed si speciem aut similitudinem habeat aliquam scientiæ, habebit & similitudinem aliquam & speciem demonstrationis; cùm scientia nihil aliud sit in actu spectata quàm demonstratio. Demonstrationis autem scopus est attributum aliquod proprium de proprio subjecto demonstrare, cum quo necessariam habeat connexionem, & à quo procedat. Nullum autem aliud Physicæ attributionis subjectum assignari potest, quàm corpus naturale, à quo nomen Physica suum desumsit, cujusque nullam omninò notionem habuit Cartesius, qui illud cum corpore geometrico, seu magnitudine trinæ dimensionis confudit, substantiam scilicet cum accidente, non tantùm re seu subjecto, sed essentiâ seu ratione, hoc est, eandem planè voluit esse rationem & essentiam corporis geometricè

ſumpti ſeu magnitudinis trinæ dimenſionis & corporis naturalis, quo vix quidquam dici poteſt abſurdius, aut quod majorem omnis ſcientiæ ſapiat ignorationem. Enim-verò ſi eadem eſt utriuſque corporis eſſentia, eadem prima utriuſque corporis erunt principia, eadem attributa utriuſque propria, eædem demum utriuſque ſpecies, eadem utraque ſcientia, Geometria ſcilicet & Phyſica, eadem denique omnia, præter ſingularem materiam, ſeu varias materiæ portiones, quæ his rationibus ſubſunt, quæque à nullâ, ut jam diximus, ſcientiâ conſiderantur. Magnitudinis autem finitæ, quæ ſolâ à Geometriâ aut aliquâ ſcientiâ conſiderari poteſt, infinitæ enim aut indefinitæ, qualem finxit Carteſius, nulla omninò eſſe poſſunt principia, nullaque proinde ſcientia; quæ omnis à principiis ducit initium; magnitudinis, inquam, finitæ ſeu finitionis

ejus aut terminationis, quæ non aliud eſt quàm figura, non alia fingi poſſunt principia, quàm punctum, linea & ſuperficies, quibus initiis aut terminis omnis definitur, circumſcribitur, aut continetur magnitudo finita, neque alia ex his principiis exiſtere poſſunt attributa propria, ſeu proprietates iis contineri, quàm quæ à Geometriâ conſiderantur, ſcilicet æqualitas, inæqualitas, ratio, proportio, *&c.* nec alias ferè conſideravit Carteſius, quàm quæ magnitudinem ejuſque diviſionem conſequuntur, ſcilicet numerum, figuram, ſitum; motum enim & quietem, quæ ſine controverſiâ proprietates ſunt Phyſicæ, ſeu propria corporis naturalis attributa, non à corpore naturali oriri putat Carteſius, ſed à ſolo Deo, ac proinde ſecundùm Carteſium inter ejus attributa propria recenſeri minimè poſſunt. Attributa enim propria à propriis

ſuis ſubjectis exiſtere, & neceſſariò emanare ſemper docuerunt & crediderunt Philoſophi, ſecùs nec neceſſariam cum eis connexionem habere poſſent, neque de iis demonſtrari.

Quis autem hactenùs credidit non alia eſſe principia corporis naturalis quàm punctum, lineam & ſuperficiem, non alia ejus attributa propria quàm æqualitatem, rationem & proportionem? hæc quidem corpori naturali conveniunt ratione magnitudinis, quæ eſt affectio ejus propria, non autem ejus eſſentia. Non tamen ſunt ſolæ proprietates corporis naturalis, ſed imprimis motus & quies, tempus, locus, lux, calor, frigus, humiditas, ſiccitas, odor, ſapor, cæteræque affectiones ſenſiles, quæ ex corporis naturalis principiis exiſtunt, non autem ex puncto, lineâ & ſuperficie; quarumque non niſi fictitias & phanaticas

rationes assignat Cartesius, ex phanaticis ejus falsisque principiis deductas, nusquam autem veras attingit.

Quid jam de speciebus magnitudinis finitæ dicam, de cono, cubo, pyramide, *&c.* quæ regularia dicuntur à Geometris corpora, an eadem illa sunt naturalis considerationis corpora, cælestia scilicet & elementaria, sol, cælum, luna, sidera, ignis, aër, aqua, terra, fossilia, lapides, metalla, plantæ, animalia, & eorum genera, species & affectiones? Hæccine omnia geometricis principiis constant & ex iis oriuntur? Hæc satis indicant iis, qui liberi sunt à præjudiciis, ut loqui solent Cartesiani, ne leviſſimam corporis naturalis notionem habuisse Cartesium, neque Physicæ proinde ullam, quæ totam suam rationem à corpore naturali desumit.

Jam verò attributum corporis naturalis præcipuum non aliud est

quàm mutabile, ſeu, ut nonnullis placet, minùs tamen rectè, mobile; quæ malè confunduntur: cùm mutabile latiùs pateat mobili, ut mutatio latiùs patet motu. Multæ enim ſunt mutationis ſpecies quæ propriè non ſunt motus, hæc pro jure ſuo & ſine ullâ ratione, ut ſolet, Carteſius confudit, nec aliam agnoſcit mutationem aut motum, cum ſuis phanaticis corpuſculis, quæ nuſquam ſunt, quàm motum localem. Motûs autem localis, omnium ferè judicio, falſam notionem habuit, quæ rebus immotis magis quàm motis conveniat. Quidquid id eſt, cùm motûs falſam notionem habuit, non potuit habere veram mobilis notionem, quæ tota deducitur à motu. Ergo attributi Phyſici de corpore Phyſico demonſtrandi nullam aut non niſi falſam notionem habere potuit Carteſius; igitur certum eſt eum ne leviſſimam rectam

Physicæ scientiæ notionem habere potuisse. Omnis enim scientia continua quædam est demonstratio, ut mox dicemus, de subjecto certi alicujus rerum generis à genere quodam primo ejusque principiis ad ultimas ejus species deducta. Igitur si Physica dicenda sit scientia, erit demonstratio, demonstrationis hujus subjectum est omnium judicio corpus naturale, & attributum mutabile seu mobile, aut mutatio seu motus. Medium autem hujus demonstrationis, & omnis veræ demonstrationis est ipsa ratio subjecti, quæ ex ejus principiis existit.

At enim Cartesius nullam habuit corporis naturalis notionem, nullam principiorum ejus, nullam motûs aut mobilis. Ergo nullam omninò Physicæ disciplinæ notionem habuit.

VIII. Ne quidem quid scire sit novit.

Sed ne quidem unquam scire visus est quid sit scientia universè sumpta, nisi memoriâ, ut pueri; seu

quid sit demonstratio, quia omnis demonstratio intendit ostendere propositionem necessariam, cujus attributum necessariam habet cum subjecto connexionem, neque alia demonstrari potest; nullum autem attributum proprium habet conjunctionem necessariam, nisi cum proprio subjecto, à quo necessariò emanat, ita ut ratio subjecti & principia ejus percipi minimè possint, quin ex iis statim colligi possit illud attributum quod ab iis necessariò proficiscitur. Ita intelligi minimè potest corpus naturale, ejusque principia materia & forma seu actus & potentia, quin statim intelligatur mutabile, quàm illud quod ita est, ut possit aliud, aut aliter esse. At quod constat materiâ & formâ, actu & potentiâ, ita est ut possit aliud esse vel aliter esse. v. c. Lignum quod est actu lignum, & potentiâ ignis ratione

materiæ suæ, potest aliud esse, & ita mutabile esse, ut aqua quæ est actu frigida, ratione potentiæ suæ potest calefieri & aliter esse. Quod idem dicas de cæteris corporibus naturalibus quæ per se & ratione suâ, materiâ constant & formâ, & necessariò sunt mutabilia, seu mutabilitas eorum essentiam necessariò consequitur, ex eoque existit & emanat.

At enim motus secundùm Cartesium, non existit neque emanat à corpore naturali ejusque principiis, sed à solo Deo. Nullum enim principium motûs in rebus agnoscit naturalibus, sed in solo Deo. Ergo motus non habet necessariam connexionem cum corpore naturali, neque de eo demonstrari potest. Unde certum est Cartesium nullam omninò habuisse scientiæ universæ notionem, neque noviſſe, quid sciri, seu quid demonstrari possit.

D. Quomodo Carteſius potuit res omnes omniaque naturæ phænomena explicare, ſi nullam omninò ſcientiæ Phyſicæ notionem habuiſſet ?

M. Non res naturales expoſuit Carteſius, ſed ſuam fabulam ex phanaticis hypotheſibus ortam, iiſque reverà impoſſibilibus, cauſas naturales nullatenùs attigit. Finis nullam haberi voluit in Phyſicis rationem, cauſam nullam agnovit ſecundam efficientem, quæ ſit principium motûs, formam penitùs ignoravit, nec quid materia naturalium rerum ſit omninò novit, in ſolâ imaginatione totus hæſit, nec in ejus Phyſicâ eſt rationi locus, neque umbra rationis univerſalis ulla in ejus opere Phyſico comparet.

CAPUT XV.

De Carteſianâ Mundi Fabricâ.

I. Carteſii Mundi fabrica ſeu fabula Chriſtiano Philoſopho prorsùs indigna, Philoſopho quidem, quia nulla ex eâ erui poteſt ſcientia. II. *Nulla probabilis opinio.* III. *Durare nequit.* IV. *In continuo non ſunt partes actu diſtinctæ.* V. *Indigna Chriſtiano, quia nec Dei ſapientiam, nec ejus providentiam indicat & manifeſtat.*

D. QUid tu de Carteſianâ Mundi fabricâ cenſes? I. Carteſii Mundi fabrica Philoſopho indigna quia nulla ex eâ erui poteſt ſcientia.

M. Cenſeo eam eſſe fabulam Philoſopho & Chriſtiano prorsùs indignam.

D. Quare Philoſopho eſt indigna?

M. Quia ex eâ nulla unquam erui poteſt ſcientia, imò ne quidem opinio aliqua probabilis.

D. Quare nulla poteſt ex eâ erui ſcientia?

M. Quia ſcientia, omnium Philoſophorum judicio, eſt tantùm de rebus neceſſariis, deque iis quæ non poſſunt aliter & aliter ſe habere. Sed ſecundùm ipſum Carteſium, & ejus ſectatores omnes, aliter oriri, condique potuit Mundus, & reverà ortus eſt aliter ipſo fatente Carteſio, Chriſtianis & Judæis omnibus. Ergo ex his nulla unquam hauriri poteſt ſcientia.

D. Fatetur quidem Carteſius, ut hominem decet Chriſtianum, Mundum eſſe factum, eo modo quo Geneſeos primo refertur; Verùm ut perfectiùs cognoſcatur, exiſtimat eſſe procedendum ad ejus ortum, aut expendendum modum, quo poſſet oriri, aut ex quibus, ut ita dicam ſeminibus prodire poſſet, fatetur quidem aliter fieri poſſe, neque video Carteſianos admodum eſſe ſollicitos de ratione ſcientiæ, modò probabiliter conſtet Mundum eo

modo

modo quem tradit oriri posse, qui valdè simplex esse videtur & facilis; tria enim tantùm postulat Cartesius, 1° Ut materia tanta creetur, quanta Mundo condendo sufficit; 2° Ut ea secetur aut dividatur in partes satis exiguas, easque cubicas, aut quasi cubicas. 3° Ut hæ partes circà sua centra volvantur & rotentur; cætera sponte suâ nascitura, ex decussis cubicarum partium angulis prodituram materiam subtilem, quæ primum sit ejus elementum, ex quâ stellæ coalescant, cubicas tum partes evasuras in globulos, qui secundum sunt ejus elementum, ex quo cæleste medium constet; ex primi verò elementi partibus sæpè coalescentibus, formari tertium elementum, quod modò crassam, modò striatam vocat materiam. Ex quâ fiant planetæ & cometæ, qui planetæ sunt, quique planetæ veræ sint terræ. Ex iisdem planè principiis

eodem modo motis, ex quibus noſtra conflata eſt terra; & eadem proinde aut ſimilia prorsùs effecta productura, ſcilicet meteora, foſſilia, lapides, metalla, plantas, animalia quæque perfecta, & ipſos etiam homines, ut multis placet Carteſianis.

M. Saltem fateantur neceſſe eſt, ex his nullam erui poſſe ſcientiam. Nec miror eos non admodum eſſe ſollicitos de ſcientiâ, quia reverà nunquam vidit aut intellexit Carteſius quid eſſet ſcientia. Igitur certum eſt, quod multoties diximus, his phanaticis inventis omnem è Scholis noſtris Phyſicam ſcientiam ejectam eſſe, quia res aliter eſſe potuerunt.

II. Nulla probabilis opinio quia materia

Sed ne quidem opinio probabilis ulla ex his erui poteſt, quia non modò improbabilia, ſed penitùs impoſſibilia ſunt. 1° Enim negat D. Thomas, & rectè negat materiam

penitùs informem, quæ nihil aliud sit quàm materia posse creari. A. 1. q. 66. 1. p. in c. Quia reverà materia quâ materia, seu quæ nihil aliud sit quàm materia, est mera puraque potentia Physica; licèt enim id quod est materia sit aliquid, v. c. lignum quod est materia ignis est aliquid quâ lignum, sed quâ materia ignis, nihil est nisi potentia ignis, seu quia potest ignis esse, & sub hâc ratione, nec essentiam, nec quantitatem, nec qualitatem habet ignis, aut alterius cujuscumque rei, quâ materia præcisè est. Habet tamen rationem materiæ respectu ignis, quia est ignis potentia, ex eo enim fieri potest ignis, neque ob aliam rationem est materia, sicut homo non est homo quia est albus aut niger, sed quia est animal rationale, & materia ita sumpta nusquam est nisi in solâ mente, quemadmodum circulus purus & præcisè

creari nequit, nec dividi, nec moveri.

ſumptus, qui nihil aliud ſit quàm circulus, nuſquam eſt niſi in ſolâ mente. Imò vero ſecundùm Divum Thomam eodem articulo facilius foret accidens ſine ſubjecto ſtare, ut reverà ſit in Euchariſtiæ Myſterio, quia eſt actus aut forma aliqua, quàm materiam ſine formâ, quia materia ſine omni formâ & præcisè ſumpta, eſt, ut jam diximus, mera potentia. Et quotquot primam materiam actum aliquem includere putant, ut primi & noſtri nunc Philoſophi, illi formas omnes ei advenientes accidentales eſſe putant; nullam formæ ſubſtantialis, nullam veræ generationis, nullam rei Phyſicæ notionem habere poſſunt, quia prima principia prorsùs ignorant.

Notus quidem eſt error Carteſii ſatis craſſus, & ex ſummâ mentis humanæ ignoratione profectus, quo credidit is res eſſe, aut ſaltem eſſe

posse eo modo quo concipiuntur à mente nostrâ, qui longè gravissimus est, alio enim longè modo res fiunt, alio concipiuntur; fiunt per applicationem formæ ad materiam, fiunt per conjunctionem & compositionem; concipiuntur per abstractionem formæ à materiâ, seu per præcisionem subjecti à formâ, fieri tamen eodem modo res nequeunt, neque forma sine materiâ, neque materia sine formâ, sed simul fiunt, generantur ac creantur. Quæro tandem quid sit illa materia, de quâ tam sæpè tum Cartesius ipse, tum ejus sectatores loquuntur.

D. Est substantia extensa.

M. Superiori capite mox ostendimus eam quam sequuntur substantiæ divisionem, summam sapere Logicæ, Physicæ & Metaphysicæ, corporis naturalis & mentis ignorationem, & secundùm ipsum Cartesium extenso est accidens cu-

jus immediatum ſubjectum eſt corpus, quod proinde debet eſſe conſtitutum in eſſe, ut Schola loquitur, & ratione corporis priuſquam ipſi accidat extenſio, aut ſi extenſio dicatur differentia corporis, ut nonnunquam aſſerit Carteſius, in hâc re valdè inconſtans ſibi, materia, quæ ſubſtantia dicitur extenſa, erit verum corpus, & reverà non-nunquam hæc tria à Carteſio confunduntur, extenſio, materia, corpus.

Verùm quo modo primum principium corporis poteſt eſſe corpus, niſi ſit principium ſui-ipſius; prima enim principia corporis, ſunt ea quæ neque ex ſe invicem, neque ex aliis, ſed ex quibus omnia ſunt corpora; ſi materia ſit corpus, & primum corporis principium, erit ſui-ipſius principium. Quod quàm falſum ſit, omnes facilè vident; ſed reverà neque corporis naturalis neque materiæ, neque primi principii corpo-

ris naturalis notionem ullam habuit Carteſius.

D. Vellem tamen ut ei ſuam concederes materiam, ut videamus quo modo ex eâ ſuum conficiat Mundum?

M. Dividendam eam cenſet Carteſius in partes exiguas quaſi cubicas & æquales, eaſque circà centra ſua convolvendas aut rotandas. Hic rursùs impingit in ſolitum ſuum errorem Carteſius, abſtrahendo à qualitatibus & affectionibus hujus ſuæ extenſæ ſubſtantiæ, quæ licèt concipi poſſit ſine ſuis affectionibus, omnibus eſſe tamen nequit ſine quibuſdam, erit ergo illa ſubſtantia extenſa, liquida ſeu fluida, vel ſolida ſeu dura, vel ſimiles habebit affectiones. Si liquida ſit aut fluida, non poteſt dividi, ita ut partes diviſæ conſiſtant, ſuiſque terminis ſeſe contineant; liquida enim fluidaque corpora facilè quidem dividi poſſunt, ſed ſtatim

diviſæ partes coaleſcunt; ut patet in aquâ & aëre, cæteriſque liquoribus.

D. Ante diviſionem fingi poterit ſolida, & per diviſionem evadere fluida.

M. Scio quidem id velle Carteſium, qui cæleſte medium vult eſſe fluidum, natum ex diviſione materiæ, ut velle videtur. Sed pace dicam ipſius, id contrà omnem experientiam fingi, quâ conſtat corpus aliquod ſolidum & durum, ſolâ diviſione nunquam evadere liquidum aut fluidum; quare ſi nunc fluidum ſit cæleſte medium, ſemper tale fuit, & dividi minimè potuit, aut alio modo quàm per ſolam diviſionem, factum eſt fluidum, quem modum nondum nobis revelavit Carteſius naturæ vates.

Jam verò ſi ſolidam eam materiæ molem fingamus, nullique neque inani, neque liquido permixtam, ut fingit Carteſius, quo modo ſin-

gulæ partes possunt ita rotari circà centra sua, ubi nullum est spatium vacuum, nullumque medium fluidum, quod cedat; sed omnia æqualiter solida & dura, ita ut unum non facilè concipi possit alteri cedere: hîc hærent somniatores & fabulatores nostri, nec aliter hinc emergere possunt, quàm recurrendo ad divinam omnipotentiam, si quis credat Deum miracula facere velle, ut phanatica Cartesii promoveat inventa, contrà rationem & naturalem ordinem rerum & cursum excogitata.

D. Potest illa materiæ congeries dividi simul & moveri divinâ saltem omnipotentiâ.

M. Potest quidem simul tempore licèt idipsum difficile possit concipi, sed necesse semper est naturæ causæque ordine divisionem præcedere motionem, quia priùs esse concipi debent partes, quàm moveri; fiunt

autem ejuſmodi partes diſtinctæ per diviſionem, ergo dividi priùs debent quàm moveri.

III. Durare nequit.

Deinde cùm motus ille fingatur à Carteſio vehementiſſimus, & ſoliditas aut durities corporis nihil aliud ſit ſecundùm ipſum, quàm quies partium corporis, neceſſe prorsùs eſt eo motu partes omnes commoveri, quietem eam tolli, & partes illas undique diſſilire, rapidiſſimo partium omnium in omnes partes motu. Nec facilè capio, quare tum potiùs decutiantur anguli, quàm latera concutiantur, totaque partium omnium moles in pulverem abeat minutiſſimum materiamque ſubtilem, ac tota moles ſtatim in ipſo ſuo ortu ſtella fiat aut ſol, qui univerſum complectatur & compleat Mundum atque comburat.

Quin etiam idem brevi neceſſariò ſequi debet ex ipsâ perpetuâ globorum attritione, qui tandem in

materiam abeant subtilem necesse est; licèt enim modum aliquem præscribere videatur Cartesius augmento materiæ subtilis, cum docet ejus partem aliquam in materiam crassam partium implicatione degenerare; ea tamen satis exigua est, nec omninò sufficit, si cum reliquâ materiâ subtili comparetur; quæ continuò sempер oritur ex globorum attritione, qui brevi penitùs exhauriri & in subtilem materiam resolvi debent, cùm nullum præsertim Cartesius invenit modum, quo reparentur, nec reparari posse facilè videantur, unde necesse est totam hanc Cartesii Mundi fabricam brevi dissolvi, & singulis non modò annis, sed mensibus ac diebus sensibiliter mutari. Licèt ejus modi sensibilis rerum mutatio vix unquam comparuerit.

Nec satis intelligo, quare subtilis materia potiùs ad centrum confluat,

quàm globoſa, & quare illa potiùs quàm hæc celeriùs moveri dicatur, cùm eodem impulſu moveri fingantur fluminis inſtar, neque credam facilè ex illâ ſubtili materiâ ſolem ſtellaſque conſtare poſſe quæ tantum lumen effundant.

Mirari ſatis non potui, quomodo tam paradoxa, tam inconcinna, tam ridicula fabula placere potuit, hominis præſertim qui nullam omninò ſcientiæ Phyſicæ, nullam omninò corporis naturalis notionem habuit.

IV. In continuo non ſût partes actu diſtinctæ.

His addo medium cæleſte, ſi fluidum ſit, ut eſſe perhibetur à Carteſio, & nunc vulgò creditur, eſſe quoque continuum, nec poſſe ex ejuſmodi partibus ſecretis ac diſtinctis ſive globulis, ſive aliis conſtare, quia fluida non poſſunt ſe ſuis terminis continere, ſed in unum ſtatim confluunt, ut patet in duabus grandinibus, quæ ubi calore ſolvuntur, ſtatim

ſtatim in unum coaleſcunt continuum, cujus partes nullo modo actu diſtinguuntur, cùm non habeant nec habere poſſint extrema diſtincta, quibus contineantur, & à ſe invicem ſecernantur & diſtinguantur.

D. Verùm enim-verò omnium judicio partes quæ poſſunt à ſe invicem ſeparari diſtinguuntur; ſed partes continui poſſunt à ſe invicem ſeparari; ergo diſtinguuntur.

M. Partes quidem quæ ſeparari poſſunt à ſe invicem per veram & propriè dictam ſeparationem, quæ opponitur conjunctioni; eæ diſtinguuntur non minùs ante quàm poſt ſeparationem, quia habent extrema diſtincta; ſed partes quæ ſeparantur per diviſionem ante diviſionem non erant diſtinctæ, ſed unum; quia non habebant extrema diſtincta; diviſio autem tollit unitatem & facit diſtincta, quæ ante diviſionem non erant diſtincta, ſeparatio ſupponit diſtin-

ctas partes in rebus contiguis & conjunctis, divisio autem facit distinctas in continuo partes, quæ ante divisionem non erant actu sed potestate distinctæ. Vix ante decimum-sextum sæculum aut certè rarissimè audita est illa partium actu distinctarum in continuo doctrina, quæ in Hispaniâ primùm exorta est, & à Suaretio invecta, quæ huic corpusculari Physicæ præbuit originem & indissolubiles parit de infinito lites hodie.

Itaque partes in continuo homogeneo nullo modo distinguuntur nisi potestate tantùm aut designatione, quando notantur, aut quando per varias formas ad varia & diversa destinantur officia. Eadem enim est moles massaque materiæ in rebus omnibus sublunaribus, quæ in varias partes ab artifice Deo dividitur, & per diversas formas ad diversos usus & officia diversa destinatur, quemadmodum est eadem sæpè

massa luti in figuliofficinâ, quæ secatur & dividitur in varias partes distinctas, & ad varios usus per diversas testarum formas destinatur. Oritur numerica distinctio ex solâ divisione, generica verò vel specifica ex variis formis propter diversos usus & officia seu functiones distinctas, sive in eâdem, sive in diversis rebus.

D. Quare tu dixisti hanc Cartesii fabulam esse indignam homine Christiano?

V. Indigna Christiano, quia nec sapientiâ nec Dei providentiâ manifestat.

M. Quia nec divinam manifestat in rebus condendis sapientiam, neque ejus in iis regendis & gubernandis providentiam. Neque omninò valdè dissimilis est Epicuri & Democriti rerum ortui, atomis tantùm in pulverem commutatis, & quidquid dicant Cartesiani, non aliis legibus motus atomi quàm pulvis agi aut cieri potuerunt, si Cartesio penitùs credamus; quia hæ le-

gesa ut regulæ non ex aliquâ providæ mentis disposítione prodierunt, sed ex solâ necessitate & naturâ materiæ quæ in atomis Epicuri & Cartesii pulvere, non naturâ, sed mole tantùm & figurâ potuit esse diversa; & sic modò æternam ponamus materiam, quam lubenter velle videretur Cartesius, nisi fides obesset Christiana, cui vix in hâc re placidè cedit Cartesius, qui non magis concipere potuit quomodò ex nihilo prodire potuerit, quàm in nihilum abire Mundus. In nihil enim abire Mundus nequit, quin relinquat spatium vacuum quod etiam divinitùs impossibile esse putavit. Sed nec incipere potuit Mundus aut condi nisi in spatio quodam vacuo quod esse nequit. Quare secundùm Cartesium semper fuerit necesse esset, neque enim facilè lubensque credit Cartesius rebus naturalibus nisi quod clarè distinctèque posset concipere, suamque

mentem humanæ rationis quaſi metam aut terminum nonnunquam eſſe voluit, vir rationis exiguæ, ſed imaginationis immenſæ, quique leviter admodùm omnium judicio in Logicis verſatus eſt, & meo judicio ne leviter quidem in Phyſicâ, cujus nullam omninò notionem habuit, cùm ne quidem unquam quid ſit corpus naturale vidit.

Credam ſcilicet ego ex ſimplici, ut Carteſiani loqui ſolent, triplicis phanatici pulveris impulſu, phanaticis Carteſii legibus & nutui obtemperanti, prodire & coaleſcere potuiſſe, ac tam diu conſtare Mundum hunc aſpectabilem, tam pulchrum, tam conſtanter in ordine ſuo perſeverantem, tam ornatum, ut κόσμος, hoc eſt ornatus ipſe ab hominibus Græcis non indoctis diceretur; qui ejus ſpeciem, formam, nitorem, ſplendorem minimè potuerunt intueri, quin fatererentur eſſe

aliquod numen præstantissimæ mentis, quo regeretur.

Nec aliunde potentius & efficacius argumentum desumit ipsa Scriptura Sacra, ut omnibus hominibus indicet esse Deum; cùm dicit *Invisibilia enim ipsius à creaturâ Mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: Sempiterna quoque virtus ejus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Et aliis locis, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera ejus annunciat firmamentum. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ!* &c. *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.* Et alibi locis benè multis.

Credam ego belluas quasque perfectas ipsos homines in quorum corporibus tanta partium internarum & externarum varietas conspicitur, tantis ordine, symmetriâ, proportione dispositarum ex simplici pul-

veris impulsu existere potuisse, ne quidquam de admirabili animorum naturâ dicam.

Credam in corporibus naturalibus, in plantis, in animalibus nullum inesse principium motûs, nullam vitam, nullum sensum in rebus ipsis, nullas aut vix ullas affectiones inesse sensiles, in igne nullum calorem, frigus nullum in aquâ, has affectiones conceptiones esse mentis non rerum qualitates. Propter hominis Physicæ penitùs ignari authoritatem, non ita insaniam.

Quid quod in rebus naturalibus nullam finis rationem aut considerationem haberi velit, & ita omnem providentiæ contemplationem sustulerit; adeò ut hæc Philosophandi ratio si non latam ad ἄθειαν, at certè ad ἀπρόνοιαν sternit viam homine Christiano prorsùs indignam. Apage phanatica ista inventa ex crassâ ignorantiâ, socordiâ & inertiâ

prorsùs enata, quorum jam pudere debet, & aliquando certè pudebit Christianos Philosophos.

CAPUT XVI.

De Cartesianis Motûs regulis.

Ii. Omnes sunt falsæ. II. Deus nec materiam nec motum in certâ quantitate creavit. III. Corpus naturale non permanet in eo statu in quo primùm positum fuit. IV. Corpus non semper rectà movetur. V. Tertia Cartesiana regula est falsa.

D. QUid de Cartesianis motûs regulis censes?

1. Omnes sunt falsæ.

M. Censeo eas omnes esse falsas & ex falsis tum corporis naturalis tum motûs notionibus ortas. Neque enim unquam vidit aut novit Cartesius, quid esset corpus naturale, aut quid motus.

D. Ergo non credis Deum ab initio certam materiæ motûsque quan-

titatem creasse, quæ semper eadem perseveret in totâ mole materiæ, licèt eadem minimè perseveret in singulis ejus partibus : sed modò major in unâ parte, & in aliâ parte minor.

M. Nihil tale credo, phanaticum esse puto figmentum, qualia Cartesio sunt familiaria, & ut sine ullâ ratione asseritur, ita sine ullâ negari potest. Addam tamen & fidei & rationi esse contrarium. Fidei quidem quia tale nihil refertur in distinctâ Mundi creatione Geneseos primo, neque in Traditione. Rationi verò quia jam ostendimus materiam illam Cartesii nullâ ratione posse creari, multò minùs motum qui ne momento quidem stare potest aut solet sine movente, non modò primo, sed secundùm naturæ ordinem ; quia motus est actus omninò imperfectus, qui non minùs dependet à movente quàm à mo-

II. Deus nec materiam nec motum creavit omninò multò minùs in certâ quantitate.

bili; unde definitur actus moventis & mobilis, ab illo continuo fluit, in hoc recipitur, & ubi nullum est movens, nullus est motus.

D. Certè concedes corpus omne in eo statu permanere in quo primùm positum est, nisi ab alio status ille mutetur.

M. Falsissimum est istud Cartesii pronunciatum, & ex falsissimâ notione corporis naturalis ortum, quod Cartesius non tantùm re, sed & ratione confudit cum corpore geometricè sumpto; unde nullam nec Physici corporis, neque Physicæ disciplinæ notionem habuit: corpus enim naturale habet in se principium motûs & quietis. Sic videmus plantas exiguas oriri & animalia parva nasci ac paulatìm crescere, donec ad debitam suæ speciei perveniant magnitudinem, in eâque perseverare per aliquod tempus, postea verò sensim deficere ac decre-

III. Corpus naturale non permanet in eo statu in quo primũ positum est.

scere. Et hoc novimus ab insitis iis principiis & causis procedere, non autem à solis corporibus externis. Ita videmus animalia modò currere, modò stare nullo prorsùs impellente corpore, modò dormire, modò expergiscì, ac se movere ab insitis principiis, non autem tantùm à corporibus externis. Si verò de corporibus inanimatis agatur, ea solent in locis naturalibus ubi primò formari solent, quiescere, aut eò tendere, si alibi formentur, quia ibi meliùs quàm alibì conservantur ab affinibus sibi corporibus, & temperiei similitudine convenientibus, nisi vi ab iis locis detineantur aut dimoveantur, & ubi primùm vis amota fuit, ad locum suum naturalem redeunt. Sic lapides vi ex terræ centro abstracti, amotâ vi statim decidunt sine ullâ subtili materiâ planè fictitiâ & phanaticâ, quæ nusquam nisi in imaginatione com-

paret. Sic vapor ex ollâ emergens operculo detentus & compressus, eo amoto statim emicat, & sursùm fertur in locum sibi naturalem, ubi liberiùs, ut exigit, diffunditur, facilius propagatur, ad perfectum quò tendit statum pervenit, ac meliùs & faciliùs conservatur.

D. Existimo te non secundam Cartesii regulam negaturum, quâ docet corpora mota secundùm rectam lineam moveri, nisi impediantur, quia ea linea est brevissima.

IV. Corpora non semper rectà moventur.

M. Non est semper vera, quia motus est proprietas & affectio corporis naturalis, qui modò circularis, modò rectus est. Nonnulla enim corpora non minùs desiderant motum circularem, quàm alia rectum; & quoniam circularis est perfectior & naturæ ordine prior, ideò tribuebatur olim cælestibus corporibus; rectus autem elementaribus, nunc autem ubi rerum ordo pervertitur, &

& nullæ rationis, sed imaginationis ratio habetur, elementaria corpora circumagi creduntur; quidquid id est, sive cælestia sive elementaria circumagantur, motus ille qui tam constanter perseverat, naturalis est, nam si violentus foret, non tam diu durare posset. Igitur motus circularis non minùs naturalis est quàm rectus; & ita non semper vera est Cartesii regula: ne quidquam dicam de animalibus quæ in omnem partem sine ullâ tali regulâ moventur, quæ Cartesius nec animâ, nec sensu prædita esse credidit. Quid prætereà de ventis, de turbinibus & fulminibus, an ea semper rectà moventur.

D Quid de tertiâ Cartesii regulâ censes?

M. Ea duas complectitur partes, quarum prima est, corpus motum occurrens fortiori, reflectitur unde venit, retento suo motu, & mu-

V. Tertia Cartesii regula est falsa.

tatâ ejus determinatione. Carteſii interpretes dicunt eam valere in corporibus quidem elaſticis, non autem in duris inflexibilibus, qualia fingit Carteſius. Verùm pace dicam ipſorum, non eſt idem motus neque ſpecie neque numero; non numero, quia motus ſit interruptus & veluti diviſus in puncto reflexionis; non ſpecie, quia motus reflexus alios habet terminos à quo & ad quem, à quibus motûs ſpecies deſumitur, iique termini ſibi ſunt oppoſiti.

D. Si non ſit idem motus, à quo procedit motus reflexus?

M. Procedit à corpore quod devehit mobile, illudque revehit ut manifeſtè patet in maris acceſſu & receſſu, ſi quidem mare ſeu aqua recedens ſecum revehit corpus quod avexit, ſic fluctus allidens aliquod corpus ad rupem ſeu ſcopulum, recedens ſecum revehit illud corpus; quod idem ſine controverſiâ præſtat

aër; unde graviora corpora non revehit, quia decidunt, nunquam enim est motus sine movente, & ultimum corpus movens semper tangit mobile.

Secunda pars hujus regulæ est corpus motum debiliori occurrens, quantum ei motûs communicat, tantùm de suo deperdit. Non tantùm modò, pace Cartesii, sed longè plus sui motûs amittit, quàm communicat; quia impetus devehentis aut proximè moventis corporis frangitur & reflectitur, ac semper minor est, ut quotidianâ constat experientiâ.

Reliquæ verò Cartesii leges ac regulæ Mathematicis nituntur suppositionibus & præcisionibus, eaque fatente Cartesio desiderant corpora, qualia nulla sunt in rerum naturâ.

Quamobrem eas Physicâ considerationе minimè dignas esse reor. Expendant eas qui Cartesii mirari

folent ingenium phanaticis fictionibus fœcundum. Ego quod in eo mirarer Physico dignum nihil inveni. Non enim ille Mundum à Deo factum contemplatur, sed imaginarium suum Mundum, qui non aliunde duxit originem, quàm ab ejus cerebro, à quo processit.

CAPUT XVII.

De modo tradendi scientiam.

I. *Quid una scientia sit?* II. *Quod subjectum attributionis Physicæ?* III. *Quæ ejus principia causæque?* IV. *De primario attributo Physicæ.* V. *De secundariis.* VI. *De universâ Mundi compage.* VII. *De simplicibus corporibus.* VIII. *De mixtis.* IX. *De animatis.*

D. QUid primò sciendum?

M. scientiam unam agere tantùm de rebus unius generis, quæ ex iisdem primis principiis existunt; ita corpora omnia naturalia

1. Quid una scientia sit.

ſunt unius generis, quia ex iiſdem primis principiis fiunt, materiâ ſcilicet & formâ, & ita corpus ipſum naturale, primum eſt genus omnium corporum naturalium, de quo jam ſæpiùs diximus, illudque ab arte facto & corpore geometricè ſumpto diſtinximus, quæ diverſa habent principia & affectiones ſpecieſque planè diverſas, & proinde corpus naturale primum eſt Phyſicæ ſcientiæ ſubjectum attributionis.

D. Quid vocas ſubjectum attributionis?

M. Voco illud de quo aliquod attributum aſſeritur ſeu prædicatur quod Scholæ communiter nunc vocant objectum; ſed meliùs meo judicio dicitur ſubjectum attributionis. II. Quod ſubjectũ attributionis Phyſicæ.

D. Quare meliùs ſubjectum attributionis quàm objectum?

M. Quia omnis ſcientia in actu ſpectata eſt quædam demonſtratio; demonſtrationis autem, omnis ſco-

pus eſt aliquod attributum de aliquo ſubjecto, cum quo neceſſariam habeat connexionem, demonſtrare, per propriam attributi & ſubjecti notionem, quæ ex propriis ſubjecti principiis eruitur, in quibus ipſa primi attributi ratio reperitur, ut diximus agendo de demonſtratione.

D. Quando ſciam proprium alicujus ſcientiæ, v. c. Phyſicæ ſubjectum?

M. Scies ſi habeat quatuor conditiones. Prima, ſi ſit præcognitum, & omnibus quodam modo notum, ita ut de illius exiſtentiâ nemo dubitet. Secunda, ut ſit ſubſtratum ſeu ſubjectum omnibus quæ in illâ ſcientiâ conſiderantur, & eorum veluti baſis & fundamentum. Tertia, ut ſua certa habeat principia, certaſque affectiones ex his principiis ortas. Quarta, ut nec latiùs nec minùs latè pateat quàm ipſa ſcientia, ſed ei ſit adæquatum, ſeu cum

eâ reciprocè convertatur. Sic corpus naturale quod est proprium Physicæ attributionis subjectum, omnibus est quodam modo notum; nemo sanæ mentis de ejus existentiâ dubitat, est subjectum omnium quæ in Physicâ tractantur, sua certa habet principia certasque affectiones, nec latiùs nec minùs latè patet quàm Physica.

D. Quid postmodum faciendum? III. Quæ ejus principia & causæ.

M. Hujus subjecti investiganda sunt principia prima ex quibus sit & componatur, si compositum sit. Ex iis enim ejus eruitur ratio causæque investigandæ universales, quæ ad totum genus pertinent. Ita materia & forma sunt prima principia corporis naturalis, primæque causæ internæ ex quibus fit: externæ verò causæ primæ sunt efficiens & finalis, quæ sunt unus Deus, à quo omnia sunt corpora, & propter quem sunt; omnia enim pro-

pter ſemetipſum fecit Deus; præter quem ſunt ſecundæ & ſpeciales cauſæ tum efficientes tum finales pro variis corporum ſpeciebus.

IV. Quod attributum primarium?

D. Quid ſubjecti attributionis obſervationem ſequitur?

M. Ipſum primarium ejus attributum, quod illud neceſſariò ſequitur ex ejus principiis oritur, ac illud per totam ſcientiam comitatur.

D. Quodnam autem eſt illud attributum in Phyſicâ?

M. Eſt mutabile mutatione Phyſicâ ſeu naturali; quæ accidit ſubſtantiis ſeu corporibus naturalibus, ſecundùm ſubſtantiam & affectiones ſuas conſideratis, quæque propriè vocantur mutationes ſenſiles, qualès ſunt generatio, corruptio, variatio, ſeu alteratio, accretio, decretio, & latio ſeu motus localis; nam quæ fiunt ſecundùm mentem & voluntatem mutationes, cæ non

sunt sensiles nec Physicæ considerationis, hujus autem mutationis seu mutationum causæ propriæ diligenter inquirendæ universè, primò in corpore universè spectato, tum verò specialiter in singulis corporum speciebus.

D. Quid post mutationem expendendum?

M. Quæ mutationem omnem sequuntur.

D. Quænam sunt illa?

V. Quæ secundaria attributa.

M. Magnitudo, locus, tempus, continuum, finitum, infinitum, vacuum, & procedendum usque ad primam motûs seu mutationis omnis causam, Deum, ut plena sit perfectaque motûs scientia.

D. Quare hæc necessariò sequuntur mutationem?

M. Quia mutationum prima in naturalibus est latio seu motus localis, sine quo nulla est variatio seu alteratio; nihil enim variari potest, nisi movens seu varians accedat ad

id quod variatur, aut vice versâ. Non incalescit manus, nisi accedat ad ignem aut ignis ad eam, sine prævia variatione seu alteratione non fit generatio seu corruptio, nec accretio seu decretio. Unde latio est prima mutatio; quod autem loco movetur intelligi nequit sine loco, unde loci consideratio est necessaria; quidquid autem à loco in locum movetur, partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, partes proinde habere debet & magnitudinem aliquam, indivisibile enim non potest moveri; non potest enim simul esse in termino à quo & in termino ad quem, sed successivè; hinc temporis consideratio sequitur. Quoniam autem magnitudo, motus & tempus continua sunt, ut hæc plenè perfectèque intelligantur, continui consideratio desideratur, & videndum an partes in eo actu distinguantur, an potestate tantùm, an hæ partes fi-

nitæ sint aut infinitæ; & ita videndum quid finitum aut infinitum: & quoniam multi vix motum localem fieri posse credunt sine vacuo, videndum an & quid illud sit. Denique motus omnis oritur ab aliquo primo movente, hinc considerandum an sit primum movens & quid sit. Et ita finitur corporis universè sumpti consideratio.

D. Post considerationem generis, quid considerandum subit?

M. Dividi statim deberet genus in proximas suas species; sed priùs universa Mundi compago generali quodam intuitu considerari non malè solet, ejus origo & duratio investigari & expendi, in quâ omnes omninò Philosophi, Plato, Aristoteles, Anaxagoras, Epicurus, Democritus, & turpiùs cæteris Cartesius erraverunt, quia hæc nullo modo sciri possunt, sed conjiciendo & divinando tantùm leviter concipi,

VI. De universâ Mundi compage.

nobis verò felicioribus temporibus natis constat, Mundum à Deo ex nihilo creatum esse. Huic revelationi firmiter adhærere debemus, nec vanissimis seduci conjecturis, ex quibus nulla unquam existere potest scientia.

Hinc Mundi author agnoscendus & adorandus est Deus, isque in rebus omnibus, quantùm fieri potest, considerandus; eaque philosophandi ratio cæteris præferenda, quæ nos in Dei cognitionem adducit, & ostendit omnia & singula à divinâ quâdam & sapientissimâ mente, prodire, regi ac contineri.

Idem Deus rerum omnium finis est, quia Deus omnia propter se-ipsum fecit; hæc tamen contemplatio neque propiores rerum fines ultimo fini subjectos, neque causas secundas efficientes primæ subordinatas, quæque suam omnem ab eâ derivant vim & efficaciam, aut ea-

rum

rum comtemplationem amovere debet. Neque enim Philosophus tantùm generales, sed speciales & proprias singularum rerum causas investigare debet.

Tum partes Mundi præcipuas Physicus intuebitur, & earum situm seu dispositionem, quod systema dicitur & varium nunc à variis esse perhibetur. Deinde Mundi affectiones, magnitudo, figura, motus &c. & harum affectionum causæ expendendæ.

VII. De corpore simplici.

His præmissis corpus universè dividendum in simplex & mixtum. Simplex priùs inspiciendum, illudque in cæleste & elementare distribuendum, priùs illud quia simplicius eâdem methodo tractandum, principia prima, materia scilicet & forma, tum causæ externæ efficiens & finis explorandæ, post modum affectiones per suas causas explicandæ sunt, densitas scilicet, raritas, lux, motus, &c.

His ſubjici debet elementorum conſideratio, principia eorum, cauſæque, tum internæ, tum externæ exponendæ, tum affectiones & affectionum cauſæ, numerus, magnitudo, motus, quæ primæ, quæ ſecundæ qualitates omnium & ſingulorum, quis ſitus, quæ ſymbola, quæ aſſymbola.

VIII. De mixtis.

A ſimplicibus ad mixta procedendum, quæ ex iis oriuntur & ex iis conflata ſunt: hæc in imperfecta & perfecta diſtribuenda, illa priùs conſideranda quia ſimpliciora, ac videndum quæ eorum materia proxima, quæ forma, quæ efficiens cauſa, quis finis; Quæ affectiones & affectionum cauſæ, quæ ſpecies in terræ viſceribus, in imâ, in mediâ, in ſupremâ aëris regione formantur.

Mixta poſt-modum ſuſpicienda perfectâ, & ſimili methodo tractanda, inanimata priùs, quia ſimplicio-

ra; Succi terrei, metalla, lapides primùm communes, tum pretiosi secundùm speciem, horum omnium principia, causæ, affectiones & affectionum causæ similiter explicandæ.

Ab his ad animata transeundum, eorum principia, præsertim anima diligenter investiganda, quæ difficilis semper visa est, & videbitur iis qui imaginationem magis quàm rationem consulere solent.

IX. De animatis.

D. Hic hære paulisper, quid vocas rationem potiùs quàm imaginationem consulere?

M. Quia nunc ex quo nova invecta est philosophandi ratio, quæ tota est imaginaria, vix ullus rationem consulit, sed solam imaginationem, phanatica corpuscula, pulverem Cartesianum ciendo, movendo, in quo nullam animæ rationem inveniunt, nec ullam ex eo unquam poterunt eruere. Unde nullam in

plantis aut animalibus agnoſcunt, nec agnoſcerent in homine fortaſsè, niſi fides eos doceret aut cohiberet.

D. Quæſo quâ tu ratione dignoſces animam?

M. Ratione ſeu ratiocinando. Ex cauſis & effectis ejus naturam colligendo, ut jam oſtendimus. Neque enim ſenſus ullus aut imaginatio animam complectetur unquam.

Tum animata in varia genera pro varietate animarum diſtribuenda, in vegetans, ſentiens, & rationale.

Deinde vegetans in ſua genera ſpecieſque dividendum. Singulorum principia, partes, cauſæ, affectiones, & affectionum cauſæ inveſtigandæ. Idipſum eâdem methodo in ſentientibus præſtandum, ſimpliciora ſemper priùs conſiderando, donec tandem ad rationale perveniatur omnium animalium perfectiſſimum, & totius univerſitatis rerum compendium.

In hujus animalis consideratione diu multùmque hærendum ; corporis ejus partes omnes , internas externas mirâ varietate , proportione , symmetriâ , pulchritudine conspicuas contuendo , authorem ejus Deum admirari decet , sed in animæ præsertim contemplatione , totam mentis contentionem adhibere juvat , quia ea præcipua pars est hominis , quâ propiùs ad Deum accedimus , in cujus suavissimâ contemplatione præcipua pars humanæ fœlicitatis etiam in hâc vitâ collocanda est ; quia nihil excellentius , nihil dignius , nihil utilius , nihil jucundius homini potest accidere. Hâc enim cognitione faciliùs assurgemus ad Deum cognoscendum , pleniùs in hâc vitâ per fidem , & perfectè tandem in alterâ vitâ per speciem videndum ; Quò nos ducat omnipotens & misericors Deus per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT XVIII.

I. Humanitas est anima rationalis tota: ex Sacrâ Scripturâ. II. Declaratur animam rationalem esse partim materialem, partim immaterialem, ex D. Augustino secundùm Sacram Scripturam. III. Ex Aristotele anima est essentia corporis naturalis organici, ut aspectus est oculi essentia. IV. Aristoteles primus docuit quid sit accuratè scire. V. Quid sit accuratè scire. VI. Pauci verè Physici. VII. Quomodo animæ natura est investiganda VIII. Sola mens, immortalis esse demonstratur in homine, non anima tota.

D. NON plenè satis capio quomodo humanitas dici possit anima rationalis.

I. Humanitas est anima rationalis ex Sacrâ Scripturâ.

M. Humanitas forma dicitur in Sacris Scripturis, & à Sanctis Patribus, neque aliud intelligit S. Paulus, S. Augustinus, cæterique Pa-

tres per formam servi, quàm humanitatem, quemadmodum non aliud concipiunt per formam Dei quàm divinitatem; igitur humanitas verè dici potest forma, & quidem essentialis, quoniam totam hominis dicit essentiam; apud autem D. Thomam & alios benè multos eadem prorsus est forma essentialis & substantialis, apud omnes verò non alia est forma substantialis hominis quàm anima rationalis; & sic omnium judicio humanitas erit anima rationalis, si rectè sentiant, & rectè intelligant quid dicunt.

D. Sed humanitas est ipsa hominis natura.

M. Natura secundùm plerosque Philosophos duplex est, materia scilicet & forma, illa passiva, hæc activa, quia est principium omnium actionum, qualis est certè humanitas, & ita natura dicitur ut forma, & sicut idem est accidens & acciden-

talis forma, ita prorsùs idem eſt eſſentia, & eſſentialis forma.

11. D. Sed omnes fatentur humanitatem eſſe partim materialem, partim ſpiritalem, non omnes tamen, imò pauciſſimi, aut tu ferè ſolus animam hominis eſſe putas, partim materialem, partim ſpiritalem.

Anima rationalis eſt partim materialis, partim immaterialis ex D. Aug.

M. D. Auguſtinus non tantùm dicit, ſed & ex Scripturis Sacris confirmat animam hominis eſſe partim ſpiritalem, partim materialem.

D. Id quidem tu ſæpiùs dixiſti, ſed vellem ipſa D. Auguſtini verba videre ſeu audire.

M. Ea copiosè ſatis exſcripſi in diſputatione de exiſtentiâ Dei & humanæ mentis immortalitate.

D. Verùm nonnulli fortaſſis legent hanc tuam methodum, qui priorem illam non viderunt diſputationem, neque eſt quod graveris ea hîc recitare, quoniam quidem ſoles in eâdem planè diſputatione ſæ-

piùs & in hac methodo eadem repetere.

M. Soleo quidem ea quæ mihi videntur difficilia & scitu necessaria non rarò repetere, ut auditorum animis fortiùs inhæreant, & pleniùs intelligantur. Neque recuso hîc retexere verba D. Augustini scitu dignissima, qui cap. 22. lib 4. de animâ & ejus origine, disputans contra Vincentium Victorem, Donatistam olim & tum Catholicum, *non sicut tu existimas universam, scilicet* animam, *mentem vocari, quæ constat ex animâ & spiritu, quod ubi legeris nescio, mentem quippe nostram, nisi rationale, intellectuale nostrum dicere non solemus, ac per hoc quod idem ait Apostolus. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, quid aliud dicit; nisi renovamini mente vestrâ. Sic enim spiritus mentis, nihil aliud est quàm mens, quomodo corpus carnis nihil aliud esse*

poteſt quàm caro ; nam & hoc ſcriptum eſt in exſpoliatione corporis carnis, *ubi carnem corpus carnis appellat*, & paulò ſuperiùs eodem cap. 22. *reſtat oſtendere quem ad modum quamvis & propriè dicatur ſpiritus, non univerſa anima, ſed aliquid ipſius. ſicut* Apoſtolus dicit & integer ſpiritus veſter & anima & corpus ; *vel illud multò expreſsiùs in lib. Job* cap. 7. abſolviſti animam meam à ſpiritu meo. Et paulò inferiùs *cum enim conſtet aliquid eſſe in animâ quod propriè ſpiritus nominetur, quo excepto propriè nominatur & anima; jam de rebus ipſis nulla eſt contentio, præſertim quia illud etiam ego dico propriè vocari ſpiritum, quod & tu dicis, id eſt quo ratiocinamur & intelligimus quando ita diſtinctè dicuntur, quemadmodum Apoſtolus ait*, & integer ſpiritus veſter & anima & corpus. *Hunc autem ſpiritum etiam mentem videtur appellare, cum*

dicit mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. *Nam & ipsa sententia est, & caro concupiscit adversùm spiritum & spiritus adversùm carnem, ut quod ibi dicit mentem, hoc hîc intelligatur spiritum dicere.*

Et lib. 83. q. q : q; 7. *Anima aliquando ita dicitur, ut cùm à mente intelligatur, veluti cùm dicimus hominem ex animâ & corpore constare aliquando, ita ut exceptâ mente concipiatur, sed cum exceptâ mente dicitur, ex iis operibus intelligitur quæ habemus cum bestiis communia, bestiæ namque carent ratione, quæ mentis semper est propria.*

Sed & cap. 23 lib. 4. de animâ, docet belluas habere quidem animam, non spiritum. *Et ego ut possim expeditiùs probare quæ sentio, te ipsum testem citiùs & commodiùs adhibebo. Sic enim spiritum definisti, ut pecora appareant non spiritum, sed animam habere.* Et eodem capite

his verbis: *Satis indicas quid esse spiritum hominis intelligas; id est rationale nostrum quo sentit & intelligit anima, non sicut sentit corporis sensibus, sed sicut est ille intimus sensus ex quo est appellata sententia.* Et ibidem *Non habent itaque spiritum pecora, id est intellectum & rationem ac sapientiæ sensum, sed animam tantùm, nam & de illis dictum est, producant aquæ repentia animarum viventium, & producat terra animam viventem.* Denique docet D. Augustinus eodem hoc capite, animam universam seu totam, & eam etiam animæ partem quæ à mente distinguitur, nonnunquam spiritum vocari, sed minùs propriè, quo etiam sensu belluarum animæ, ventus & aër, spiritus vocantur in Sacrâ Scripturâ, *ut ergo noveris planissimè & plenissimè eam quæ anima est more divinorum eloquiorum etiam spiritum dici, appellatur*

latur pecoris ſpiritus, & utique non habent pecora illum ſpiritum quem tua dilectio diſcernens ab animâ definivit, &c.

Ex quibus omnibus conſtat ſecundùm D. Auguſtinum ipſamque Scripturam Sacram, animam ſumi tribus modis, 1°. Pro ſolâ mente, ſeu ſuperiore animæ parte. 2°. Et quidem propriè pro inferiore animæ parte, quæ ſentientem & vegetantem animæ partes complectitur. 3°. Pro totâ ſeu universâ animâ ex his partibus conſtante; ſed malunt noſtri juvenem illum olim Donatiſtam qui per animam ſolam, mentem intellexit, quàm D. Auguſtinum & Sacram ſequi Scripturam. Quid autem univerſa illa eſt anima, quàm humanitas ſeu formale principium omnium operationum hominis. Divus autem Thomas humanitatem, eſſentiam hominis totam agnoſcit, & licet animam humanam cum mente ſoleat confundere, duas

tamen ejus facultates agnoscit, sensum scilicet & intellectum, illum materialem, hunc immaterialem ar. 4. q. 12. p. 1. Facultates autem animæ ab ejus substantiâ à plerisque non distinguuntur, licet aliter sentiat D. Thomas, ergo secundùm plerosque anima dici potest, partim materialis, partim immaterialis.

III. Ex Aristotele anima est essentia corporis naturalis organici, ut aspectus est oculi essentia.

D. Vellem de his audire ipsum Aristotelem qui formæ substantialis author & introductor habetur.

M. Iis oppressus est Aristoteles calumniis ita spretus & conculcatus, ut eum vix aliquis audeat laudare, licet ei longè plus Philosophia debeat quàm omnibus antiquis, dicam etiam & recentioribus omnibus. Licet solus inter veteres viderit quid scire sit, neque inter recentiores quisquam vidit, nisi qui id ab eo didicerit: unde cum eo omnis scientiæ ratio & perfectio ex scholis nostris exulat, nec quemquam

facilè reperias qui veram scientiæ præsertim physicæ rationem sit assecutus; ego tamen sæpiùs miratus sum, quomodo D. Augustinus qui suam animæ notionem totam ex Sacris Scripturis hausit, perfectissimè cum Aristotele consenserit.

Itaque Aristoteles refutatis veterum de animâ opinionibus 1. libro de animâ. Cap. 1. lib 2. revocatâ animâ ad genus substantiæ seu οὐσίας, hanc tribus modis dici statuit, de materiâ ut subjecto ex quo res fit; de formâ ut de essentiâ, ac de toto, ut de re per se subsistente, ostensoque quòd anima non sit materia, nec totum, concludit eam esse essentiam rei, his verbis. *Universaliter igitur dictum est quid sit anima; est enim essentia, quæ in ratione consistit, hæc verò est quidditas corporis ejusmodi, id est naturalis & organici*, ut legentibus idem caput constabit. Quod illustrat exemplo ocu-

Καθόλου μὲν οὖν εἴρηται τί ἐστιν ἡ ψυχή, οὐσία γὰρ ἡ κατὰ τὸν λόγον, τοῦτο δὲ τὸ τί

ἡ εἶναι τῷ τοιῷδὲ σώματι.

li. *Nam*, inquit, *si oculus esset animal, utique aspectus esset ejus anima: hic enim est essentia oculi, quæ in ratione consistit, oculus verò est materia aspectûs: quo deficiente non est oculus nisi homonymῶς, quemadmodùm lapideus & pictus.* Ex quibus satis constat Aristotelem nihil aliud per animam intelligere quàm essentiam rei & quidem totam. Quid autem est tota hominis essentia nisi humanitas?

D. Sed omnes volunt materiam non minùs ad essentiam rei naturalis quàm formam pertinere.

M. Materia, ut jam diximus, ad substantiam rei pertinet, non autem ad essentiam. Ostendimus autem essentiam rei naturalis propriè loquendo non esse substantiam seu rem per se subsistentem, ut essentias separatas, Deum scilicet & Angelos; sed præter essentiam res naturalis desiderat subjectum aliquod seu aliquam materiæ portionem, quæ prio-

rem essentiam exuendo hanc induat, & unà cum eâ rem naturalem constituat, ut lignum exuendo essentiam ligni induit essentiam ignis, ut fiat ignis. Hæc quisquis ignorat, nullam unquam rei naturalis scientiam assequetur.

IV. Aristoteles primus docuit quid sit accuratè scire.

D. Ignorant tamen ferè omnes nec facilè patiuntur unum Aristotelem scientiæ authorem & inventorem haberi.

M. Dicant illi nobis quis Aristotele prior docuit quid sit accuratè scire. Vellem tu nobis diceres quid sciri possit, & ita fortassis intelliges vix ullum scire, quid sit scire.

D Ego verò existimo veritatem omnem sciri posse.

M. Graviter erras, veritates enim supernaturales, ut Deum esse trinum, Verbum esse incarnatum, sciri non possunt, sed fide credi debent, eaque propter revelationem à Deo factam, & ab Ecclesiâ propositam.

D. Intelligo tantùm veritates naturales.

M. Et adhuc falleris, non enim omnis veritas naturalis ſciri poteſt, ſed ea tantùm quæ eſt neceſſaria; de ſolis enim agit neceſſariis ſcientia. Sed ne quidem omnis veritas naturalis & neceſſaria propriè & accuratè loquendo ſciri poteſt.

v. Quid accuratè ſciri poteſt.

D. Quid ergo ſciri poteſt?

M Id quod poteſt demonſtrari, quoniam ſcientia in habitu ſpectata dicitur habitus demonſtrativus, & in actu conſiderata eſt demonſtratio.

D. Quid ergo poteſt demonſtrari?

M. Propoſitio neceſſaria cujus attributum ſit proprietas, non autem eſſentia ſubjecti. Et quidem ut accurata perfectaque fiat demonſtratio de quâ diximus, debet illud attributum de primo ſuo ſubjecto demonſtrari, & ad illud revocari.

D. Quare non poteſt eſſentia de ſuo ſubjecto demonſtrari?

M. Quia immediatè ei convenit, & immediatam cum eo constituit propositionem quæ demonstrari minimè potest. Omnis enim demonstratio fit per aliquod medium inter attributum & subjectum; v. c homo immediatè & per se est animal rationale, nec ullum medium aut ulla ratio est, cur sit animal rationale, hoc enim est ipsa hominis ratio.

D. Quare accidentia communia non possunt demonstrari de subjectis? Quare v. c. non potest demonstrari quòd homo sit albus, sicut demonstratur quòd sit capax virtutis?

M. Quia capacitas virtutis necessariam habet cum homine connexionem, & ab ejus essentiâ procedit, ut ostendimus. Albedo verò non convenit necessariò homini, nec ab ejus essentiâ procedit, sed à certâ materiæ portione, quæ simul cum humanitate constituit hominem, &

humanitas in aliâ portione materiæ poteſt eſſe cum nigredine conjuncta. Quemadmodum circulus in auro eſt fulvus, in argento albus, nec fulvedo nec albedo demonſtrari poſſunt de circulo.

D. Non videtur par ratio, quia materia pertinet ad conſtitutionem hominis, imò ad ejus eſſentiam, ut multis placet; at verò nec aurum nec argentum pertinet ad conſtitutionem circuli aut ejus eſſentiam.

M. Materia quidem communis & ſecundùm ſpeciem ſpectata pertinet ad eſſentiam hominis, v. c. carnes & oſſa, ſed hæc aut illa materiæ pars, hæ aut illæ carnes, hæc aut illa oſſa non pertinent ad eſſentiam hominis, quia continuò ac ſingulis planè diebus mutantur abeunte unâ materiæ parte, & aliâ ſuccedente. Sic aquæ ſecundùm ſpeciem ſpectatæ pertinent ad eſſentiam fluminis, hæc aut illa

aqua non pertinent. Humanitas tamen una numero perseverat totâ vitâ, ut flumen unum numero, licèt continuò aquæ mutentur. Et certè si materiæ illa portio pertineret ad essentiam hominis, accidentia, quæ eam consequuntur, necessariò homini convénirent, ac de eo possent demonstrari, quod nemo sciens quid sit demonstratio, dixerit.

Igitur ea materiæ portio pertinet quidem ad substantiam hominis, non verò ad ejus essentiam. Aliud autem in rebus naturalibus aut Physicis est essentia, & aliud substantia, ut suo loco diximus, & ex D. Thom. patet q. 3 a. 3. prim. part. in cor.

VI. Pauci verè Philosophi.

D. Video valdè paucos rerum naturalium veram ullam habere rationem, quoniam earum principia prima penitùs ignorant, materiam & formam, quoniam hæc æquo jure ad rei essentiam pertinere credunt, nec ullum novi qui sciat quid sit anima.

M. Id minimè mirum videri debet, quoniam Galenus ipſe vir certè magnus nunquam novit quid ſit anima, imò temerarium eſſe putat eum, qui id ſcire velit.

D. Quâ ergo ratione demonſtrant immortalitatem animæ rationalis, ſi neſciant quid ſit?

M. Pauci ſciunt quid ſit ipſa demonſtratio. Certè Gaſſendus vir non ignoti nominis eam nunquam novit, cùm eam impoſſibilem eſſe putavit; multò minùs Carteſius qui ſua ſophiſmata tanquam certiſſimas demonſtrationes propoſuit, quibus nullas meliores excogitari poſſe putavit. Multò minùs animæ naturam perſpexerunt, ſed nec modum quo ea poſſit inveſtigari, cognoverunt.

D. Quomodo ergo Carteſius dicere potuit eâ nihil ſibi notius eſſe, cum eam definivit ſubſtantiàm cogitantem?

M. Malè planè definivit & quid

cogitatio esset penitùs ignoravit: cum omnes voluntatis, intellectûs, imaginationis & sensuum operationes, cogitationes esse statuit. Unde sentiens omnis substantia est cogitans, & ita belluæ omnes sunt substantiæ cogitantes, cùm sine ullâ controversiâ sint sentientes. Ut omnes ferè nunc agnoscunt, etiam Cartesii sectatores, & agnoscent omnes qui majorem suis sensibus fidem adhibebunt, quàm phanaticis Cartesii definitionibus, quæ summam & crassam sapiunt ignorantiam. Sed de his alio loco disputavimus & ostendimus pleniss imè ac planissimè, ut cum D. Augustino loquar, omnis definiendi, dividendi ac demonstrandi artis ignarum fuisse Cartesium, eum nullam corporis naturalis, nullam animæ, nullam sensûs, nullam intellectûs, nullam scientiæ notionem habuisse.

D. Multis nimìs offensus videris

VII. Quomodo animæ natura est investiganda.

Cartesio, sed ad propositam quæstionem redi, & ostende quâ ratione animæ natura possit investigari, & ejus immortalitas perfectè demonstrari.

M. Ego cum Cartesii personâ nullum omninò bellum gero, sed cum ejus erroribus quos ferre minimè possum. Jam dixi quâ ratione animæ natura sit investiganda, & ejus immortalitas demonstranda.

D. Feciſti quidem, ſed leviùs quàm rei gravitas poſtulat, quæ non ſatis inculcari poteſt, quoniam omnibus eſt ferè penitùs ignota, neque ſatis repeti poteſt res tanti momenti.

M. Animæ naturæ ratio & reliquarum omnium rerum naturalium ex cauſis & effectis ſeu operationibus ejus, non autem ut fit ex levibus conjecturis & cæcis imaginationibus inveſtiganda eſt. Omnes enim animam ſubſtantiam quandam eſſe volunt

volunt, & idolum sibi quoddam fingunt, ac solam imaginationem sequuntur, neque eam superare valent, præsertim ii qui Mathematicis figuris sunt assueti.

Igitur anima per se non fit, sed fit homo, cujus essentia & forma est anima. Hominis autem causa prima seu author est Deus intelligens & sapiens; omnis autem intelligens & sapiens artifex aut author alicujus operis, primum sui operis finem seu functionem, aut primariam operationem intuetur, cui cæteræ subordinantur, ex quâ totius operis ideam, rationem, formam & essentiam colligit; quæ ea complectatur omnia, quæ ad hanc primariam operationem necessaria sunt.

Jam-verò primaria principsque hominis operatio à quâ suam differentiam & speciem sumit, est universalis de rebus omnibus sensibili-

bus ratiocinatio, earumque cauſis & effectis. Hæc autem operatio prævias omnium ſenſuum operationes deſiderat, ex quibus ſuas haurire poſſit ideas, ſeu ſpecies, ita ut ſi unus defecerit ſenſus, ejus objecti nullam habere poſſit ideam : ita cæci nati nullam habere poſſunt lucis aut coloris ideam ; ſenſus autem omnes ſunt vires organicæ & materiales, quarum organa nutriri debent.

Unde ſenſus nequeunt eſſe ſine vi vegetativâ, quæ perfecta eſſe nequit ſine vi auctrice, ut ad debitam ſpeciei ſuæ perveniat magnitudinem, ut facilè & expeditè ſuas functiones obire poſſit ; & ubi ad ſtatum perfectum pervenerit, ſibi ſimiles generare, ut ſpeciem ſuam conſervare poſſit. Hinc neceſſe prorsùs eſt animam rationalem eſſe ſentientem & vegetantem, ac partim materjalem, & partim ſpiritalem ;

quia universalis ratio operatio est planè pura & spiritalis, sentientis autem & vegetativæ partis operationes omnes, quæ pars propriè secundùm D. Augustinum & sacram Scripturam dicitur anima; tota materialis est, ad ea pertinens opera, ut loquitur idem S. Doctor, quæ homini & belluæ sunt communia, quæ proinde veram habent animam. Et hæc animæ pars neque mortalis, neque immortalis dici potest, quoniam non per se vivit, quia nullas habet operationes sibi proprias, sed omnes corpori communes: mortale autem & immortale propria sunt solorum per se viventium attributa.

Belluæ quidem & plantæ per se vivunt seu habent operationes vitales sibi proprias, sentire, nutriri, crescere, quarum nulla solis plantarum aut belluarum animabus convenit, unde nec per se vivunt; sed ipsæ plantæ & belluæ; mortales qui-

dem ſunt, quia in iis eſt ſubjectum commune vitæ & morti, corpus ſcilicet corruptibile, quod dum integrum eſt ac perfectum vivit, neque quidquam eſt anima earum, quàm hæc perfectio prima quæ ἐντελέχεια, ab Ariſtotele dicitur, id eſt perfecta rei habitudo, quam malè Cicero perennem definit motum, cùm vocis origo ſit τέλος, id eſt finis, unde ἔντελης, finitus perfectus, & hinc ἐντελέχεια ab ἐντέλης & ἔχω, habeo; ubi verò deficit hæc integritas ad vitæ operationes neceſſaria, moritur planta, moritur bellua; & etiam homo propter eandem rationem, quia corpus ejus eſt ſubjectum commune vitæ & morti.

Quare quiſquis has omnes animæ partes ſub animæ nomine & ratione complectitur, ut reverà ea continentur, is nunquam animæ immortalitatem demonſtrabit, & quid demonſtratio ſit penitùs ignorat.

De solâ ergo superiori animæ parte quæ mens propriè vocatur, esse potest quæstio, ut jam diximus, quæque sola, sed malè & minùs propriè vocatur anima, communiter in Scholis & ab omnibus Christianis, ut invaluit usus. VIII. Sola mens immortalis esse demonstratur.

Hæc igitur pars animæ est substantia, ut ostendimus, & quidem propriè dicta, quia potest per se subsistere, & vivens est, quia habet operationes sibi proprias intelligere & velle; ac immortalis est, quia nullum includit subjectum commune vitæ & morti, cùm sit substantia omninò pura, quæ habet operationem puram, cujus objectum est omninò purum, seu forma sine omni subjecto concepta, circulus v. c. purus qui nihil aliud sit quàm circulus, ut jam non semel diximus.

D. Mihi non displicet sæpiùs audire, si tibi non displiceat sæpiùs dicere, sed vellem nunc demonstra-

tionem in formâ inſtitueres.

M. Fortaſſis aliis diſplicebit toties repetita.

D. Non credo. Age modò.

M. Primum immortalitatis ſubjectum eſt mens universè ſumpta; nihil enim aliud ſignificat immortale quàm vivens, non potens mori; omnis autem mens universè ſumpta eſt vivens non potens mori, & omne vivens non potens mori eſt mens.

D. Quomodo id efficis?

M. Mens eſt vivens quia vitales habet in ſe operationes, intelligere ſcilicet & velle: non poteſt mori, quia nullum includit ſubjectum; mors enim nihil aliud eſt quàm privatio vitæ, in ſubjecto apto, ubi autem nullum eſt ſubjectum, nulla eſſe poteſt privatio, mentis autem omnis ratio eſt eſſentia pura ſine ullo ſubjecto, ut ſæpè diximus, & quidem vivens. Igitur

Omnis ſubſtantia pura nullum in-

cludens ſubjectum, vivens & non potens mori eſt immortalis. Omnis mens eſt ſubſtantia pura nullum includens ſubjectum; vivens eſt & non potens mori, ut oſtenſum eſt. Igitur mens omnis eſt immortalis.

In homine porrò eſt ſine ullâ controverſiâ mens, cum in eo ſint ejus operationes, intelligere ſcilicet & velle; & hæc eſt præcipua pars tum hominis ipſius, tum animæ ejus, non tamen univerſa anima, ut cum D. Auguſtino loquamur, quoniam eſt proprium & immediatum principium præcipuæ ejus operationis, ſcilicet rationis aut ratiocinationis univerſalis, propter quam cæteræ deſiderantur, & ad quam per ſe ordinantur, & per quam ipſe homo ad Deum cognoſcendum inſtitutus eſt. Cui honor & gloria, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

FINIS.

APPROBATIO.

PRO Excellentissimi Domin D. Galliarum Cancellarii jussu, opus, quod inscribitur, *Vera sciendi Methodus*, quâ potui attentione, perlegi. Quos Philosophicos Thrasones Author, olim celeberrimus Philosophiæ Professor, doctissimè juxta atque acutissimè adorsus est, eosdem Academiæ Parisiensis Rector amplissimus non parùm exterruit: nunc verò Philosophorum Navarricorum Archididascalus vigilantissimus, Regiumque pro meritis consecutus Cathedram, ac Sancti Thomæ instar, Aristotelis vindex, illæsâ Catholicâ fide Theosophiâque Morali, pio ardentique zelo expugnare conatur. Faxit Deus Opt. Max. *ut illius expensis argumentis, sapiant ad sobrietatem, qui, occupatione pessimâ*, (Hagiographorum verbis utor) *hactenùs evanuerunt in cogitationibus suis.* Datum Lutetiæ Parisiorum, die decimâ-quintâ Julii, Virginei Partûs anno millesimo septingentesimo decimo sexto.

Rom 12. Eccl. 1. Rom. 1.

BRIANDUS MARION, Doctor Theologus Parisiensis, è Regiâ Societate, & Emeritus in Regiâ Navarrâ Sacræ Theologiæ Professor Regius.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à nos amez & feaux Conſeillers, les gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre *Hoſtel*, Grand Conſeil, Prevoſt de Paris, Baillifs, Senechaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. Noſtre bien amé *le ſieur Michel Morus, Ancien Recteur de l'Univerſité de Paris, Principal des Artiens ou Philoſophes de Navarre, & noſtre Profeſſeur de Phyſique en noſtre College*, Nous ayant fait remontrer qu'il ſouhaiteroit faire imprimer un Ouvrage qui a pour titre *Vera ſciendi Methodus* qu'il deſireroit donner au Public, s'il Nous plaiſoit luy accorder nos Lettres de *Privilege pour la Ville de Paris ſeulement*, Nous avons permis & permettons par ces Preſentes audit Sieur Morus de faire imprimer ledit Ouvrage en tels forme, marge, caractere en un ou pluſieurs Volumes, conjointement ou ſeparément, & autant de fois que bon

luy ſemblera ; & de le faire vendre & debiter par tout noſtre Royaume pendant le temps de ſix années conſecutives, *à compter du jour de la datte deſdites Preſentes.* Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de noſtre obéïſſance ; & à tous Libraires- Imprimeurs *& autres dans ladite Ville de Paris ſeulement*, d'imprimer ou faire imprimer ledit Ouvrage en tout ny en partie, & d'y en faire venir, vendre & debiter d'autre impreſſion que de celle qui aura eſté faite pour ledit Sieur Expoſant, ſous peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de mille livres d'amende contre chacun des Contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit ſieur Expoſant, & de tous dépens, dommages & intereſts, *à la charge que ces Preſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, & ce dans trois mois de la datte d'icelles*, que l'impreſſion dudit Ouvrage ſera faite dans noſtre Royaume & non ailleurs, en

bon papier & en beaux caracteres, conformément au Reglement de la Librairie, & qu'avant que de l'exposer en vente, il en sera mis deux Exemplaires dans nostre Bibliotheque publique, un dans celle de nostre Chasteau du Louvre, & un dans celle de nostre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur Voysin, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des Presentes, du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir ledit Sieur Exposant ou ses ayans cause pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empeschement. Voulons que la Copie desdites Presentes qui sera imprimée au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, soit tenuë pour dûëment signifiée, & qu'aux Copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, foy soit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier nostre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & necessaires sans demander autre permission, nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande & Lettres à ce con-

traires, CAR tel eſt noſtre plaiſir. DONNE' à Paris le vingt-huitiéme jour du mois de Juillet l'an de grace mil ſept cent ſeize, & de noſtre Regne le premier. Par le Roy en ſon Conſeil. *Signé*, FOUQUET.

Il eſt ordonné par Edit du Roy du mois d'Aouſt 1686 *& Arreſts de ſon Conſeil, que les Livres dont l'impreſſion ſe permet par chacun des Privileges de Sa Majeſté, ne pourront eſtre vendus que par un Libraire ou Imprimeur.*

Regiſtré ſur le Regiſtre N° 4. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, pag. 58 *N°* 71, *conformément au Reglement, & notamment à l'Arreſt du Conſeil du* 13 *Aouſt* 1703. *A Paris le* 2 *Octobre* 1716

Signé, DELAULNE, Syndic.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Morus, Michael

Vera sciendi methodus

Lutetia 1716
Ph.sp. 588
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10043983-5